VITAE SANCTORVM BREui elegantique stylo compositæ, & ad breuiarij modum ac vsum per quam decentèr accommodatæ per Ioannem Maldonatum, virum eruditione clarum editæ.

QVIBVS AVTOR APOSVIT ETIAM VITAS TRES ex D. Hieronymo tanquam bellaria optima, quæ condiant totum edulium.

ADIECIMVS PRAETEREA IN HAC ultima editione eiusdem diui Hieronymi epistolam ad Nepotianum de vita & honestate clericorum: cuius lectio valde iuuabit adolescentes, ad sacerdotii dignitatem aspirantes.

BVRGIS.

Cum licentia excussum, Apud Philippum Iuntam.

1563

¶Traslado dela licencia.



Os los Prouisores en todo el obispado de Burgos, por el illustrißimo y reuerendißimo señor don Francisco de Mendoça, por la miseracion diuina, presbytero cardenal en la sancta yglesia de Roma, del titulo de sant Eusebio, obispo de Burgos &c. Por *la presente damos licencia y facultad a uos Phelippe de Iunta impressor de libros en esta ciudad be Burgos, para que podays uender uos y otras qualesquier personas, el presente libro intitulado, uitæ sanctorum: hecho por el docto uaron Iuan de Maldonado. En el qual tambien estan sacadas delas epistolas de sant Hieronymo, la hystoria de muliere sep ties icta, & uita Pauli primi eremitæ, & Malchi monachi cap tiui, & epistola eiusdem Hieronymi ad Nepotianum de uita clericorum, que con nuestra licencia aueys impresso: sin que por ello incurrays ni incurran en pena ni calumnia alguna. Atento que fue uisto y aprouado, por el muy magnifico y reuerendo señor el licenciado Burgos. Y declarado no ser delos prohibidos enel cathalogo delos libros prohibidos. Fecho enla ciudad de Burgos, a ueynte dias del mes de Septiembre, de mil y quinientos y sesenta y tres años.*

El *doctor* **Ramiro.**

Por *mandado del señor prouisor.*

Lope *de* **Allende Notario.**

PHILIPPVS IVNTA TYPOGRAphus bonæ indolis adoleſcentibus.

IN vobis prodeunt ſtudioſi adoleſcentes ſanctorum enarrationes,noſtris prælijs excuſæ,à Ioanne Maldonato viro facundia & eruditione claro editæ:quas noſtris typis vel ob id maxime excudi curauimus, vt quã ſemper præme tuli,animi mei ratio vobis innoteſcat:me ſcilicet nõ priuati cõmodi,verum vt publicæ vtilitatis cupidum ſemper habeatis.Quid autem in hac noſtra editione pręſtiterimus, huius voluminis lectio aliorum collatione exemplarium ante hac editorũ vobis faciet fidem,non noſtra vel ambitioſa vel elaborata commendatio.Et ne noua editio non aliquo cum fœnore veſtras veniret in manus, adiecimus epiſtolam diui Hieronymi ad Nepotianum, in qua epiſtola pectus illius ardet euangelica pietate,& pectori reſpõdet oratio,loquitur diſerta,& ita loquitur,vt vixit,ac ſic vita & oratione ſe immitandum præbuit, præſertim his, qui Chriſto adacti & initiati ſunt,vel ſe initiandos ſperant,tradit.n. præcepta ſaluberrima de ſpernendis diuitijs,& de fugienda familiaritate ſecularium & præcipue fœminarum,de doctrina pietatis,de frugalitate,de diſpẽſandis in pauperes eleemoſinis, & de alijs, q̃ maxime clericos decent:genus eſt paræneticum hoc eſt adhortatorium,in quo mire valet Hieronymus.Quod vobis ſumopere profuturum confido,qui ad ordinem ſacerdotalẽ aſpirare nitimini. Valete interim,& fœliciter fruimini,dum altiora vobis paramus.

IOANNES MALDONATVS AD LECTOREM.



Aepißimè ſum optime lector ab ſtudioſis adoleſcentibus aliud agens interpellatus, cum iam hunc, iam illum locum ex uitis ſanctorum efflagitant, ut ipſis exponam. Quibus equidē ſatisfacere, nunquam magni negotij neque laboris duxi: neque me tēporis magnopere pœnituit, quod eiuſmodi quæſtiunculis impenderem: propterea quòd hærent, & labuntur horum pleriq; figuratæ locutionis aut generis dicendi nō omnino uulgaris ignoratione: cuius admoniti, gratijs agendis intendunt & petita uenia diſcedunt. At uerò incurrunt alij ſupra modum difficiles: qui percontantur nimia quadam admiratione, cur unum aut alterum mendum ſit in uitis ſanctorum, & alicubi meis in opuſculis: quod grammatici ferre non poſſint. Quibus cum coner ſupercilium lenire, typographorū cauſans inſcitiam, calami etiam uel mei lapſum (non ſemper, fateor, manus dictamen conſequitur mentis) uel eius qui, ne ceſpitarent typographi, à meo pictorato lituris autographo, manu tranſcripſit: fruſtra quidem laboro. Volūt innuere, me iam ſolœciſmi damnatum, cum grammaticis in gratiam redire nō poſſe. Cupiens igitur illos, qui ſtudent in literis proficere, & occaſione diſcere quacunq; laborant ex me, pro captu iuuare, ſcholia uitis ſanctorum adieci, breuiſsima quidem, ſed quæ parum peritis conducant. Hos uerò doctiores, quos equidem uellem habere propitios: rogo atq; abſecro, ut poſitis affectibus, rem ipſam agnoſcant: animaduertant, quam profundo ignorantiæ ſomno teneantur typographi noſtræ regionis diligētiſsimi quidem alias, ut intra diem quamplurimas chartas infarciant uerius quàm ſcribant. Nondum enim commigrauit ad nos aut Aldi ſumma prudentia, aut Frobenij maxima diligentia. Tum etiam attendant, quam facilè labitur manus, oculus ballu-

hallucinatur, quam frequenter una litera subit locum alterius, alia pro alia succedit: præsertim quòd quæ maximè uitio dāt, præ se ferunt tam euidentem uel manus transcribentis lapsum, uel typographi dormitationem: ut nec pueros elementarios fugiat, in leges grammaticæ temere & oscitanter fuisse peccatum. Sed deuolutis iam à prima editione annis decem & octo, & ab scholijs adiectis quindecim, ut pijs scholasticis simul & meis studijs consulerem, uitas nunc demum trāscurri: & quod erat in eis detortum correxi: mendas abrasi, sustuli: meoq; omnia chirographo consona reddidi. Proinde bone lector expende postremam hanc editionem: cuius te admonebit, in fronte præscriptus, millesimus quingentesimus quadragesimus octauus annus: & intellige, meam esse, & à me solam probari.

Admonitum etiam te esse uolo candide lector, consulto me quidem non semel in his uitis, & alibi forte, ecclesiam dixisse pro templo. Nam si propriè significat concionem, cœtum & concilium, & ab ecclesiasticis scriptoribus pro congregatione fidelium et uniuerso quandoq; populo christiano ponatur, nihilominus etiam receptum est, & ab apostolorum temporibus ductum, ut loca publica in quibus christiani, quæ ad fidem & religionem pertinent, docentur, & sacra peragunt, tum oratoria tum ecclesiæ nuncupentur. Itaq; templum quodcūq; christianorum rectè iam meo iudicio diceretur ecclesia: quoniam inualuit consuetudo, & consentaneū esse uidetur, ut christianorum ædes sacræ nomine etiam distinguantur à cæterarū gentium ædibus atq; templis.

IOANNIS CARRERAE

ad anagnostas cæterosque studiosos lectores enneadecastichon extemporale.

TRes sumus à primo coniuncti flore iuuentæ,
Quos Heliconiadum conciliauit amor.
Est Maldonatus romanæ gloria linguæ:
Est Lara uir doctus:quos ego iure sequor.
Horarum à nobis fierent cum Byblia quondam:
Segmina conuenit scribere,quemq; sua.
Tunc Maldonato merito sors obtigit ista,
Stringeret ut diuûm sedulus acta breui.
Ille opus aggressus confectis undique monstris,
Retulit ut pulchrum,cuique uidere licet.
Hoc ergo uersate manu noctesque diesque,
Quis & uita pia,& lingua latina placet.
Parturit ingenio tacitus nunc ubere plura:
Quæ edat ut in lucem,uita superstit ei.
De quibus hoc unum dicam tibi nomine presso:
Sunt ea quæ & nostra,& secla futura iuuent.
Autori grates igitur persoluat ubique,
Qui cupit(ut dixi)themata culta loqui.

CLARIS-

CLARISSIMO AC REVERENDISSIMO dño D. Petro Xuario Figueroæ Velaſco Burgenſi decano archidiacono Valpueſtano Ioannes Maldonatus. S P D.



Etus eſt conſuetudo clariſsime vir: vt q otio literario indulgent: opera ſua dicent ſummis monarchis, aut populi primatibus, aut ijs certe, quos genus fortuna vel ingenium reddit illuſtriores. Putantes quidam, deuinctos ſibi ac nuncupatione demeritos, quos immortalitate donarint. Alij non dubitantes, quin ipſa, quæ condiderunt opera, nominis eorum claritudine, quibus inſcripta ſunt, fiant commendatiora. Argumentum omnino haud ineficax ad promerendam laudem, talibus viris fuiſſe dicata. Priores nunquã induxi in animum, vt æmularer: furor eſt, eiuſmodi quidpiam non ſperare dicam, ſed vel animo concipere. Poſteriorum mihi eſt ratio potius amplectenda. Nam quæ veram in ſe non contiment laudem, ab ijs mutuentur oportet, quibus ſunt primum oblata, quibus primum narrata. Quem igitur ego potius adeã? cui iuſtius meos qualeſcunque labores dedicẽ, quam tibi? Quẽ præter generis ſplendorem, ac illuſtre nomen familiæ, in Burgenſi percelebri collegio (capitulum vocant) tenere video primum locum? atque inter claros, præſtantéſque viros, ac nobiles quam plurimum ſplendeſcere? Præterea eximias tuas virtutes: laudatiſsimóſque mores, qui loco ſi natus eſſes obſcuro, te conſpectiorem poſſent reddere, & ad omnem præſtandum cõciliandumq; fauorem quammaximé idoneum ac ſufficientem promittere. Munuſculum ergo cape haud omnino leue, nec aſpernandum, ſi penitus diſcutias, nec à tua profeſsione quidẽ alienum. Et ante omnia, ne quid illud ſit, quod offerimus, te fugiat, qua mente conceptum, quo cõſilio editum: perlege, quod præmittimus prologium, & vale.

Qui otio literario indulgent) Otium literarum dicitur id tempo ris, quod ſtudijs boniſque diſciplinis impenditur. *Deuinctos ſibi ac nuncupatione demeritos*) Obnoxios & ſibi deditos propter nũcupationẽ libri. *Quos immortalitate donarint*) Quos reddiderint immortales. Putabantur priſco ſeculo immortales fore, quibus ſua opera dicaſſent autores clari. *Furor eſt*) inſania eſt. & mentis plane cecitas. *Loco ſi natus eſſes obſcuro*) Obſcuro loco nati dicuntur, qui plebei ſunt: & quorum parentes propter cenſus tenuitatem ignorantur.

IOANNIS MALDONATI, IN VITAS SANCTORVM PROLOGVS.



Itas ſanctorum, quas breui tumultuarióque nuper ſtylo compoſui, breuiarijque Burgenſis ad vſum accomodaui, ſcholaſticorum qui flammines fieri percupiunt, cõtinuis prope ſum precibus victus: vt à reliquo corpore ſepoſitas, iterum in lucem edam, gymnaſiorumque prȩludijs, ac exercitamentis adaptem. Pepulerunt me etiam in id ludi literarij Ferranus & Auguſtus laureati magiſtri, qui ſuis à diſcipulis eflagitati, quotidie non deſinunt admonere. Sed potiſsimum valuit, quòd dum excudebatur epitome, multa me ſunt inconſulto ſubducta. quamplurima permutata, multo plura repoſita, ſuppoſita, atq; inducta: conſultum (certo ſcio) volentibus, qui id agebant temporis, quo ſum in componendo conſtrictus, anguſtiæ. Plærumq; mihi quidẽ per noctem, ne prælum ceſſaret, inueniendum ſcribendumq; fuit, quod luce ſequenti typographis traderetur: tribus nimirum aut quatuor nõnunquã vitis vna lucubratione maturaris. Sero quippe & ſub ipſum imprimendi ardorem, abſoluta fere iam altera breuiarij parte, quidquid hoc eſt ſiue curæ ſiue laboris mea non ſponte ſubiui. Quare rogantibus, vt ſanctorum geſta ſeorſum imprimerentur, non admodum difficulter acquieui: quo vel mihi liceret, quæ ſunt aſſuta reſecare: quæque intercepta reponere, vt eiuſdem ſint omnia farinȩ, vnumque cuncta referant archetypum. Propoſitum nobis certè fuit: ſicq; mandatum á præſule Fonſeca acceperamus: vitas ſanctorum, quos Burgenſis colit eccleſia, paucis comprehendere, ſummatimq; preſcriebere: & ad breuiarij modulum atque menſuram cõcinnare.

Hoc

Hoc nomini visum est consentaneum:hoc sacerdotibus commodissimum:sine temporis dispendio,preces dum peragunt,inter litandum,diuorum gesta, mores, mortésq; perdiscere,vt si quando veniret vsu,cuiuscúq; celebritatem diei ex nocturnis possent precibus recensere:causamq; rogantibus satisfacere.In aliquibus certè diuis selectis modum excessimus:perque stupenda miracula nonnihil contra morem institutumq; nostrum euagati sumus:sed quorum solennitas non vna die finiebatur.Nullum quippe diem sine pia aliqua diui, cui festus esset,relatione præteriri,præsuli,cui nostra tunc cura sudabat,cuiusq; sumus præscriptum sequuti, consilium fuit.Et qui duobus aut tribus,totísve octo diebus celebres sunt sancti:vltra præscriptos fuere limites necessario producendi. In nonnullis etiam supra modum stylum restrinximus ac coarctauimus:quibus duę tresve lectiones(sic vocant)ex instituto maiorum sunt solum attributæ.Verum ne venditare pro nostris aliena insimulent maleuoli,fatemur ingenue: locos nescio quot morulas fugitantes(nunquam non instabant typographi)ad verbum pene transtulisse:partim ex diuo Hieronymo,partim ex Antonio Sabellico:ex Ambrosio fragmenta quædam:ex Gregorio Benedictũ abbatem:ex Iouiano Pontano Michaelem archangelum:ex Eusebio clausulas quaspiam:ex Volaterano nescio quę. Atque vtinam licuisset,ex talibus fontibus cætera nos haurire:minus profectò detractantium morsibus essemus obnoxij:rebusque maior inesset fides,quam quidem nonnunquam penes ipsos volumus autores esse.Petrum apostolum,& nescio an duos alios, tresve diuos summates propemodum præteriuimus intactos:prohibiti,Aurelio magnisq; certis doctoribus quorum sacræ cóciones eiusmodi solénijs legũtur,obstrepere.Quod

igitur ſumus iuſsi,præſtitimus vel ſi minus, bona fide conati ſumus. Certè quod ingenio non ſumus,peritiaque aſſequuti,celeritate compenſauimus,quæ ſi nõ ſit ſpontanea,merito eſt dignanda venia.

Tumultuario ſtylo) Volanti calamo. Tumultuarium dicitur, quod raptim & ſine præmeditatione factum eſt. *Conſultum*) *certo ſcio*) *uolentibus*) Senſus eſt:certo ſcio qui permutabant ſupponebant,ac inducebant quamplurima,dum excudebatur breuiarium,conſulere uoluiſſe temporis anguſtiæ, qua premebar in componendo. *Conſultum*) .i.conſulere uel conſultum eſſe. *Eiuſdem farinæ*) Eiuſdem ſtyli. *Vna lucubratione*) Vna vigilia.Lucubrare dicuntur eruditi ſtudentes,commentanteſq;. *Lucubratio*) Vigilia & opus lucubratum. *Concinnare*) Adaptare. *Volumus penes ipſos autores eſſe*) Senſus eſt:non magis adhibeatur fides hiſtoriæ,quam fuerit authoritas eius ſcriptores,à quo deſumpta eſt.Sunt enim adeo triuiales quidam autores:ex ijs præſertim qui neotericorum geſta commemorant:ut aliquando uix mereantur ſibi fidem haberi.

ANDREAS APOSTOLUS.



Ndreas Simonis petri frater à Bethsaida Galileæ ciuitate, postquā ex piscatore est factus apostolus: Christo per omne reliquū tempus sic iugiter adhæsit, ut à latere nunquā diuerterit, donec et morientem uidit, et resurgentem, sicut prædixerat, adorauit. Post ascensionem uero Christi, cum in diuersa terrarum apostoli dispartirētur: Achaiam Andreas sortitus prouinciam (sunt & qui Scythiā peragrasse commemorent) eam in euangelizando curam adhibuit, ut mortales breui non paucos ad euangelicam ueritatem perduxerit. Porro multis in Achaia miraculis claruit: de quibus nobis uerba facere in animo est, si prius eius martyrium recensuerimus. Cum proconsul Aegeas Patras Achaiæ ciuitatem intrasset, christianos quotquot aderant, ad idola gentium percolenda, statim est aggressus compellere. Cui factus obuiam Andreas, impietatis cœpit arguere, quod iudex hominum cœlestem uerúmque iudicem Christum ignoraret. Proconsul uanum appellabat apostolum, ac superstitiosum, quòd Christum à iudæis crucifixum, colendum tantopere prædicaret. Andreas adhæc, sponte sua Christum asserebat supplicium crucis pertulisse, quod & suis prædixerit, & Iudam proditorem designauerit. Aegeas post longam uerborum concertationem, molestè ferens, de mysterio crucis Andream multis disserere, quando tu, inquit, magnum in crucis supplicio mysterium contendis inesse: denuncio tibi, atque per deos, quos ipse colo, túque maligne contemnis, iuro: ni meis audiens fueris dictis, per mysterium, quod appellas crucis, in formam dei tui dilaniatum, excarnificatúmque interimam.

mam.Erectus apostolus tam læto nuncio,quod mors sibi domini sui similis,si in commendando prædicandóque mysterio crucis persisteret,intenderetur:contendit ea de re multis differere:ualidissimis confirmans argumentis ad salutem hominum necessarium fuisse Christum in crucem suffigi. Aegeas frustra teri tempus comminationibus uidens & Andream a prædicanda cruce cũ magno populi assensu minus desistere:rapi eum,& in carcerem trudi præcepit. Quod populus ægre ferens,sanctum per noctem apostolum inuisit:parúmque a fuit, quin refractis per uim ianuis,eduxerit,& proconsulem laniauerit.Vir siquidem pius uehementi exhortatione prohibuit: totóque nisu laborauit:ne patientia à Christo tantopere commendata:discipulorúmque mentibus omnibus horis ingesta,tartaream in seditionem uerteretur. Postero die productus ante tribunal proconsulis Andreas:cum Christum uerum deum profiteri crucísque mysterium ingenti præconio celebrare nõ cessaret,iussus est,à triginta carnificibus uerberari:mòxq; cruce suspendi. Sequebatur Andream tendentem in crucem frequens populi turba,uociferans,immerito pati apostolum Dei. Ille autem ardens cupiditate Christi mortem emulandi: crucem à longè prospectam adorauit: & ex ea libens pependit. Haud tamen est clauis perforatus quemadmodum Christum Iesum accepimus trãsfixum:& in templis adoramus effigiatum:sed manibus pedibúsque sigillatim ad crucem ligatis,tanquam in eculeo torquebatur. Pendebat in cruce diuus Andreas,& uerbum Dei annuntiare circunstanti turbæ, quæ hominum fuisse dicitur uiginti millium,non cessabat. Tantúmq; profecit biduo quo uiuus pependit:sermocinans de redemptione facta per Christum:ut multi fierent christiani, multitudóque iniustum,impium subclamaret occidendum proconsulem. Territus Aegeas tumultu,quem pendentis uerbum efficax suscitabat:satellitibus imperauit,ut Andream deponerent, liberúmque abire permitterent. Sed diuinitus illis accedere probi-

prohibitis:cum ueri Dei cultores eum soluere niterentur:exorauit Christum,ut susciperet spiritum:& superueniēte mox fulgore cœlesti,demigrauit ad superos. Maximilla proconsulis uxor,quam paucos ante dies baptizauerat apostolus,magnifice corpus sepeliuit: cum eius interim sacrilegus coniux Aegeas domum properans,à dæmonio strangulatus sit. Stratocles frater Aegeæ,qui cum populo clamitauerat iniusto dam nari iudicio apostolum Dei:conspecta fratris nece , territus adeo est:ut extemplo cū familia & plebe non pauca fieri chri stianus,poposcerit.

Miracula quæ sanctißimus Andreas,dum in Achaia prædicabat,edidit, multa quidem fuisse comperimus. Sed quia singula pertractari non breuiter possunt:aliqua perstrin gemus,quę lectori faciant fidem, omnes apostolicas actiones solidis miraculis nixas fuisse. Iuuenis quidam nobilis Andreæ adhæserat,cupiens christianos ab eo ritus plenius edoceri. Pa rentes filium dolentes abalienatum: domum in qua illum esse cum apostolo cognouerant, succenderūt.Iuuenis tectum ascē dens,ampullam aquæ super ignem apostoli iussu diffudit: & continuo flamma subsedit. Parentes eò conantes ascendere,pe nitus excæcati sunt, paulóque post defuncti. Vxor cuiusdam homicidæ laborabat è partu:mortiq; proxima, sororem ad placandam Dianam miserat. Abnegat idolum,auxilij se quicquam laturum:& admonet,ab apostolo ueram salutem esse pe tendam. Euocatus Andreas,idolatriæ primo mulierem redar guit:mox exorato Deo,fœtum ut emittat mortuum,impetrat: qua mulier opera & à morte & à demonum fraude liberata est. Iuuenis christianus pulchra liberalíque facie solicitatus à matre lasciua,ut cum ea coiret:detestatus est nefandum flagitium. Illa despectam se dolens,crimen in filium retorsit,incestíque tentati illum apud iudices postulauit. Qui cum ad iudiciū pertraheretur, apostolum sibi patronum asciuit. Iudex ira succensus,uera esse credēs crimina,quæ mulier in filium fulmi

nabat: picato conuolutum sacco iuuenem in fluentum mitti, eiusque procuratorem Andream intra carcerẽ detineri, præcepit. Verum apostolus extemplo Christũ exorauit: factoque terremotu, fulmen mulierem rapidum interemit: iuuenẽ à morte seruauit. Quare iudex Christum Deum professus, quamplurimos ad fidem orthodoxam secum duxit.

Sicut prædixerat) Ipse Christus. *Bethsaida*) ciuitas est Galilcæ, patria trium apostolorum Andreæ, Petri & Philippi, vt est autor Hieronymus. *Scythia*) Regio est ad septentrionem omniũ vltima. *Achaia*) Regio late patens in Græcia. *Per mysterium, quod appellas crucis*) id est, per ipsam crucem in qua mysterium inesse significas. *Effigiatum*) Pictum aut sculptum. *Flamma subsedit*) Imminuta est: & extincta *Postulauit incesti*) Accusauit. *Picato*) pice illito.

BARBARA.

Barbara Nicomediæ nata, patrem habuit Dioscorum uirum nobilem, sed idolatram. Qui filiam ob egregios mores præstantémque formam adeo dilexit, ut, ne diuelleret eam à se, construendam turrim locarit, in qua uirgo degeret, ab ijs secura procis, qui ducere uxorem ambiebant. Læta admodum Barbara noui habitaculi constructione, propterea quòd à nuptijs ob christianam, quam conceperat animo, pietatem, abhorrebat: propensúmque patrem intellexerat, in retinenda filia domi sine cura connubij: cum abesse comperit, cæmentarios conuocauit: & in ea parte turris, in qua duas edixerat pater fieri fenestras, tertiam ut adderent imperauit. Reuersus pater, quæsiuit ex ea, cur tertiam addidisset fenestram: quoniam tres sunt, inquit, qui mundum illuminant, pater, filius, & spiritus sanctus. Ad quam uocem percitus ira Dioscorus, ferrum in filiam strinxit. Illa paternum declinans furorem, in montem fugit: & saxeas intra crepidines sese occultauit. Subsequutus eam pater, in montem peruenit: & duos quos offendit pastores sciscitatus est, ubi nam uirguncula latuisset. Alter negauit

quicquam se scire, cupiens à nudato paruulam ense protegere:alter digito locum monstrauit:& extemplo cum suis pecoribus in lapidem transformatus est. Dioscorus comprehensam capillis filiam domum traxit:multúmque per diem ac noctem macerauit.Sequenti die Martiano præsidi torquendam puniendámque tradidit. Qui mox nudatam ac suspensam crudis cædi neruis, cilicinísque saccis extergi præcepit: postea carceri mancipauit:ubi à Deo curata est. Postero die cum perfidus iudex deorum suorum uirtuti ascriberet:quòd Barbara curata esset:& ob id à uirgine derideretur:suspendi iterum iussit:unguibusq; latera radi,atque succensas corpori faces applicari. Deniq; crescente sæuitia, mamillas præcidi, perq; urbem nudam trahi. Cumque ab angelo cunctis uidentibus tersa atque sanata esset,iussa est decollari. Quam pater Dioscorus in monte,quo fuerat comprehensa,cum iugulasset, fulmine ictus interijt.

Construendam turrim locarit) Dederit faciendam turrim cæmentarijs. *Ambiebant*) Ambitiose procurabant. *Cæmentarios*) Structores ædificiorum,quæ sunt ex lapidibus. *Percitus*) Commotus. *Crepidines*) Altitudines sunt abruptorum saxorum. *Macerauit*) Attenuauit,afflixit. *Cilicinis*) Asperis : vt sunt cilicia ex villis hircorum & caprarum. *Ascriberet*) Imputaret.

GYRALDVS.

GYraldus christianis in Germania parentibus ortus: ab utero pene matris Christo sic adeo fuit deditus, ut nihil peo omnem uitam gesserit, quod non merito fuerit summo præconio celebrandum. Eius siquidem parentes, qui Cartucensis erant regionis ex primatibus, ante susceptam sobolem, primitias Deo uouerant sui seminis. Natus igitur prima corũ fœtura gyraldus,cũ liberaliter nutriretur ac sanctè:priusquã excederet ex ephebis,in cœnobio moysiaco nũcupato pro

fessioni

fessioni monasticæ ascriptus est. Vbi tantum profecit literis, fraternáq; illa disciplina, tum etiam integritate morum ac uitæ, ut facile præ cunctis emineret. Inerant in eo certè uirtutes omnes, quibus christiana solet sanctitudo maximè commendari. Hic igitur cœnobita ueniens in Hispaniam, quo tempore Bracarensis erat ecclesia destituta pastore, suffragijs omnium pontifex renunciatus est. Quod utique factum diuinamque electionem Paschalis romanus pontifex non confirmauit modo, sed prærogatiuis etiam multis est prosequutus. Rexit Bracarensem ecclesiã diuus Gyraldus ita pie, sic sanctè, ut post uitæ cursum fœliciter peractum, inter diuos merito relatus sit,

Cartucensis) Regio est in Germania. *Prima factura*) Primus partus, primus filius. *Ephebis*) Pueritia. *Ascriptus*) Deditus. *Prærogatiuis*) Immunitatibus & beneficijs.

NICOLAVS.

Diuus Nicolaus pataræ, quæ ciuitas est Lyciæ, claris religiosisque ortus parentibus, primis ab incunabulis qualis uir futurus esset, quibus uirtutibus uestiendus, haud obscura signa dedit. Quippe die quo primum in lucem editus est, rectus in pelui, dum tergeretur, stetit: & per totam deinceps infantiam Mercurij Venerisque diebus semel in die duntaxat ubera materna suxit. Iam puer cum in ludum literarium iret, claudicanti fœminæ gressum restituit. Denique iuuentutem ingressus, æqualium consortia deuitabat: ab ecclesijs pietatisque operibus, sacrisue lectionibus nunquam uel paululum diuertebat. Atqui mortuis parentibus, illud ex euangelio reputans, omnibus renunciandum, quæ possidemus, si uolumus adhærere Christo: nimium solicitus fluctuabat. Erat in eadem ciuitate uir quidam nobilis, sed ad summam redactus paupertatem: qui nesciens, quo pacto suæ consuleret mendicitati, tres uirgines filias, ac ætate florentes prostituere destinauerat. Quod intelligens Nicolaus, auri non leue pon-

dus.

dus clam ei nocte concubia per fenestram intulit:quo uir auro maiorem natu filiam marituit. Fecit idem Nicolaus iterum ac tertio: & duæ reliquæ uirgines collocatæ sunt:neque pater unde prodiret bonum, scire ualuit:donec comprehensus ad ultimum Nicolaus, uetuit diuulgari. Ea forte tempestate Myra ciuitas præsule uacauit: & conuenerunt episcopi ac presbyteri prouinciales, ad creandum episcopum. Inter quos ille qui præminebat episcopus, indicto ieiunio, multisque precibus exorato deo, cœlestem uocem audiuit: ut quem ipse proxima uenientem ad ecclesiam luce matutina Nicolaum nomine conspicaretur, episcopum designaret. Sic igitur diuino creatus monitu Nicolaus episcopus, nihilo Immutatus est: eandem morum grauitatem, eandem rebus omnibus humilitatem seruabat: ieiunijs & orationibus intendebat: nullum uerbum nisi castißimũ ac sanctißimum eius ex ore prodibat. Tanta denique per eum, fiebant miracula, ut in rebus aduersis nullum præsentius numẽ eius etatis homines inuocarent. Multi periclitantes in mari, pene que fluctibus absorpti, per Nicolai nomen emerserunt. Multi uarijs periculis ac tempestatibus iactati, per Nicolaum erepti sunt. Ad postremum cum claruisset uir pius quam plurimis miraculis, quæ libelli breuitas referre non patitur, ex morbo interiit, Iustiniano christiano principe Romanam ditionem moderante.

Lycia) Regio Asiæ, quæ terminatur ab ortu Pamphilia, à meridie mari proprio, ab occasu & septentrione regione, quæ proprie dicitur Asia. Est in ea Patara vrbs præcipua, & Myra ciuitas, dequibus fit hic mentio. *Fluctuabat*) variis cogitationibus agitabatur, veluti fluctus marini, qui semper à ventis huc & illuc iactantur. *Consuleret mendicitati*) Consulere cum datiuo, cauere & vtilitatem quærere est. *Concubia nox*) Intempesta: quando omnes cubant, & à rebus agendis auocat tempus. *Marituit*) collocauit, marito tradidit.

LEOCADIA.

CVm Dacianum præsidem Diocletianus & Maximianus crudelissimi quidem uerius tyranni quàm Imperatores, ad moderandã uel potius lacerandam Hispaniam destinassent: peragrata non sine multa christianorum cæde Gallia, tandem Hispaniam uenit. Et apud Cæsaraugustam primo Cucuphatũ & Eulaliam cũ plurimis alijs interemit. Deinde postea quã Cæsaraugusta satis superque martyriũ sanguine redũdauit: & Complutũ suos uidit Iustũ & pastorẽ trucidatos: Toletum adijt ad reliquias christianorũ persequendas, Vbi cũ multa de Leocadiæ nobilitate, pietate, summoque in deum ac religionẽ christianam studio prædicarentur, uocari iussit. Atq; persuadere conatus est, ut præclaris orta natalibus, Christo fictitio ignotoque deo seruire dedignaretur: & deos gentiũ quibus Cæsares ipsi parerent, coleret. Verum risit uirgo præsidis amentiam, qui uero relicto deo, truncos ac lapides uenerari, sanius æquiusq; duceret. Nõ potuit Dacianus irã temperare, cum se suosq; deos uidit contẽni: quin arreptã mox uirginẽ in carcerem trudi, ferreisque uinculis constringi præceperit, deliberaturus plenius, quibus eam tormentis affligeret. Dum igitur Leocadia seruatur in uinculis, Elboram Dacianus contendit, ad conquirendos persequendosq; christianos. Vbi Vincentium comprehendit, quem postea cũ sororibus Sabina et Christeta complurimisq; alijs Abulæ cõcidit. Emeritam deinde profectus, crudeliter suam carnificinam exercuit, maxima christianorum turba interempta. Quos inter Eulalia uerberibus multisque cruciatibus afflicta, ac igne succensa occubuit. Quã famam ubi Toleti Leocadia in uinculis excepit, Deo flexis genibus gratias agens, expirauit.

Destinassent) Misissent. *Peragrata Gallia*) Veniẽtibus ab Italia & quacunque regione Europæ fereque & Asiæ in Hispaniã necessario est iter per Galliam. *Cæsaraugusta*) Ciuitas nobilis Hispaniæ: quæ nunc ast caput Aragoniæ. *Complutum*) Oppidũ Hispaniæ nostra hac ætate à Francisco Ximenio Cardinali Archiepiscopo Toletano illustri nimirum academia nobilitatũ, inquo

in quo Iustus & Pastor ceu tutelares dij coluntur, quòd ibi per Datianum martyrio sunt affecti. *Toletum*) Vrbs inclita Hispaniæ, cuius Archiepiscopus post regem secundus tam dignitate quã opibus censetur. *Elbora*) Oppidũ Hispaniæ. *Abula*) Ciuitas Hispaniæ notissima. *Emerita*) Colonia est in Hispania.

EVLALIA.

Eulalia primis est annis edocta à presbytero quodam Donato. Deum non modo diligere, totoq; mentis ardore sectari: sed firmiter etiã cõstantia fidei se munire aduersus Christi hostes, christianiq; dogmatis oppugnatores. Eius siquidem uiri boni præceptis sic adeo Eulalia sitienter adhæsit, ut non christianos solum exacte ritus seruaret: uerum dari sibi occasionem expeteret, qua per martyriũ posset ad cælos euolare. Ergo cũ in Bæticæ regionis finibus annos nata tredecim, cum sorore uirginibusq; alijs Eulalia moraretur: & audiret, apud Emeritam ciuitatẽ tyranicã in christianos rabiẽ deseuire: arsit desiderio, ingentiq; cupiditate moriẽdi p Christo. Vix tamẽ satis fama persequutionis inualerat: cũ ecce carnifices adsunt, qui iussu eã Datiani plaustro Emeritã deueherẽt ad martyriũ. Vecta est igitur gaudibũda cũ Iulia comite non aliter, q̃ si ad exoptatas nuptias uocaretur. Multa molitus est præses: quo diuã Eulaliã à proposito sancto deuocaret: uerũ oẽs illius illa conatus eludebat: omnia uerba refutabat: blãdimẽta respuebat: donec carnifex ad solitã feritatem est uersus. Innumera sunt tormẽta, quæ sæuus Dacianus in uirginẽ sanctã exercuit: uixque posse corpus humanũ pati, credibile est. Sed tandẽ cũ admotis utrinq; facibus exureretur: flãmas hausit, & spiritũ exhalauit.

Christi dogma) Est dogma decretum vel placitum, interdum secta. *Exacte*) Diligenter. *Ritus*) Mores & ceremonias. *Bætica*) Regio Hispaniæ clarissima. *Deuocaret*) Deduceret, dimoueret.

LVCIA.

Lucia sanctissima Syracusis nobilibus orta natalibus mortuo patre, pudice cũ matre uiuebat ac piæ: dilargiẽs quã

tum opum poterat egentibus. Mater filiam obiurgabat, quòd immemor senectæ bona profunderet: satis esse contendens, in morte pauperibus quanlibet legare particulam. Lucia matrē identidem admonebat: seram esse largitionem in ultimo digressu, ut pote quæ fieret ex alieno: uiuens pauperum meminisset, nam qui moriens incipit largus esse: ea nimirum dat: quæ retinere non potest. Inter hæc mater morbum contraxit immedicabilem: & cum per totam id temporis Siciliam Agathæ miracula inclarescerēt: eius ad sepulchrum Catanā mater & filia cōtenderūt. Ibi per somnū Agatha cincta choris angelicis Luciæ affulsit, adhortans, ne peteret abs se, quod poterat ipsa matri præstare. Cumque somno excita Lucia, matrem reperisset incolumem gratias egit Deo sanctæq; Agathæ: & cum matre simul Syracusas reuersa est. Erat tunc Paschasius uir truculentus urbis præfectus, qui forma uirginis incensus, conciliatricem misit cum muneribus, quæ diceret ipsum splendore captum oculorum, perdite deperire eam. Lucia non ferens lenocinium, auulsos extemplo oculos remisit ad amantem. Quod ille factum perperam magicis imputauit præstigijs: cum præsertim audiuit, pulchrioribus lucidioribusq; oculis Luciam à Raphaele donatam archangelo. Sponsus Luciæ, cui pater eam uiuens desponderat, apud Paschasium hoc ipso tempore sponsam accusauit cum prodigalitatis, tum christianismi. Quod libenter Paschasius audiens cum uerbis eam pellicere non posset, ut abnegaret Christum: conuocatis undique lenonibus, ad lupanar trahi præcepit. Nulla tamen ui hominum neque boū, cum omnia tentarentur, moueri potuit. Quare pyra circa eā extructa, cum seruaretur ab angelis, & flammas inter & ignes mortem Paschasio iamiam imminentem denunciaret, à truci satellite gladio transfixa est. Ante tamen quam laberetur, multa futura prædixit, quæ mox euenere. Nam et Paschasius ipse non multo post ob peculatum damnatus, morte pœnas luit.

Syracusa) Ciuitas Siciliæ. *Quælibet legare particulam)* Testamẽ to relinquere. *In ultimo digressu)* In morte: *Catana vel Catina)* Ciuitas Siciliæ. *Lenocinium)* Blandimentum amatorium, quo leno nes vtebantur ad captandas puellas. Sed verius quo nunc vtuntur proci & amantes. *Peculatus)* furtum est peculatus publicæ pecuniæ. Frequenter vsu veniebat apud Romanos, vt qui magistratus gerebant, exacto tempore legitimo magistratus, peculatus postularentur, nonnunquam damnarentur. *Luit)* Exoluit.

DOMINICVS SILENSIS.

Dominicus abbas Silensis, Ioannis cuiusdam uiri nobilis filius, in uico Cannis regionis Cantabriæ prope Naiaram *natus est. Qui à primis (quod aiunt) unguiculis adeo religionis monasticæque fuit uitæ studiosus: ut cumprimum per ætatem licuit, statim relicto paternarum ouium magisterio, cui annos quatuor intenderat, eremum abierit: deinde mutato cõsilio cucullũ benedictinum in cœnobio sancti Aemiliani induerit. Post tamen cum miro uitæ splendore fulgeret, & curã ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Cannas suscepisset, sapienterque gessisset ac pie: rursus ad Aemiliani monasterium reuocatus,* Prior *(sic uocãt) calculis omnium creatus est. Sed quia regi Cantabriæ, tributũ à monasterio perperam exigenti, nimis erat* Dominicus *aduersus, in solitudinem montium cum monachis duobus relegatus est. Cupiens denique uir pius regis inuidiam deuitare, quæ mõtium ad inuia penetrabat, ad Castellæ* Legionisque *primum regem* Fernandum *iter intendit. Lætus Dominici rex Fernãdus aduentu, cuius uirtutis sanctimoniæque famam iampridem acceperat: Silensi monasterio, cui Sebastianus nomen erat, deserto ac nullo pene sodalitio frequentato, præfecit. Atque diœcesanum episcopum rogauit, ut sacris eum benedictionibus, abbatisque nomine dignaretur. Nõ possunt præclara huius uiri gesta paucis comprehendi. Nam præter industriam singularem, quam in substruendo, ampliãdo, ditandoque cœnobio solers adhibuit: tot miracula paßim edidit, ut uolumen uix sufficiat ad*

enarrandum. Nullum morbi genus est, nulla membrorum debilitas, quam non ille uerbo sanauerit. Claudi, cæci, ac debiles qui cunque confugiebant ad eum, tanquam ad ueram salutem. Sõnium admirandum uidit: in quo tres aureas porrigi sibi coronas à Deo, uidere uisus est: quod in demigratione postmodum animæ futile non fuisse, satis fuit compertum. Verum ut reliqua nunc prætermittamus, morbum contraxit quem immedicabilem fore, statim intellexit. Nam uocatis ad se monachis, multa futura prædixit, & mortem instare confirmauit. Episcopo etiam se tum temporis adeunti, multa diuinitus prænunciauit, que cunctis mox stupentibus acciderunt. Tandem perceptis de more christiano sacramentis, è uita migrauit, anno uirginei partus quarto & septuagesimo supra millesimum. Eius anima uisa est à pueris quibusdam triplici corona fulgens in cœlum euolare. Corpus in eodem monasterio sepultũ est, quod nomen nunc Dominici retinet, & Silense frequentibus à silicibus cognominatur.

Cantabria) Regio septentrionalis Hispaniæ. *Cannæ*) Vicus nunc est Cantabriæ. *Naiara*) Ciuitas nunc est Cantabriæ. *Silensi monasterio*) Vix vnius iter diei distat ab vrbe Burgorum.

THOMAS APOSTOLVS.

Thomas, qui Didymus hoc est geminus est appellatus, post ascensionem Christi cum euangelium Cæsareæ prædicaret: Christi uocem iubentis audiuit, ut cum Abane Gundophori regis Indorum nuncio, qui uirum architectura præstantem quæritabat, simulans & ipse architecturæ peritiam, continuo nauigaret. Paruit Thomas: & mirificum agens quendam artificem, cum Abane, constituto salario, longos æquoris tractus breui, pro locorum distantia, sulcauit. Cum autem Andropolim urbem ambo uenissent, quo die rex eius ciuitatis nuptui dabat filiam: admirandum Thomas edidit in medio conuiuio miraculum. Nam ministrantium unus, qui colaphum ei inflixe-

rat,discerptus mox à leone meritas pœnas dedit. Vnde nouus maritus & uxor uirginitatem uno consilio uouentes,baptizati sunt. Abanes ob miracula uisa factus christianus,lætus cum Thoma per Indiam gradiebatur. Iamque iter constitutum remensus,cum Thomam ante regem constituisset,plenißime roganti satisfecit,pollicitúsque est,constructurum se domum de more Romano uere regiam,atque magnificam. Ingentes igitur pecunias Thomas cum ad opus peragendum accepisset,in alias suæ ditionis regiones interim Rex profectus est. Biennium rex abfuit,in quo quidem Thomas magnum Christo populũ acquisiuit. Pecunias sibi creditas plerasque in pauperes, reliquas in construendas ecclesias dispertiuit. Quod ubi est regi redeunti nunciatum,Thomam & Abanem trusit in carcerem. Agath regis frater tunc forte demortuus, & quarto die ad superos reuocatus,nunciauit fratri,speciosum habere illum apud cælestes mansiones habitaculum. Quòd quia uinciendo apostolum amisisset,uenire se aiebat,quo numeratis,illud pecunijs,quas in fabricando Thomas expendisset,redimeret. His & alijs,quæ de supernis sedibus frater enarrabat, auditis, timuit rex:atque post multa,quæ breuitatis ergò silemus genibus apostoli Agat,rexque summißi sunt, ac simul baptizati: necnon & miraculis confirmati. Post hæc Thomas ulteriorem Indiam adijt,ubi tantum miraculis ualuit,ut regionis eius Regina,sorórque dilecta,præter numerosæ plebis multitudinem,Christum cognouerint & baptizapti sint. Rex tamen & sua sponte commotus,quòd solitos uxor uitabat amplexus,& ab alijs etiam instigatus, apostolum primo comprehendit,postea productum è carcere,super ardentes ferri laminas sistit: fornacique indidit ardenti. Postremo cum supplicia contemneret,ad templum Iouis tractus,ut uel sacrificaret,uel trucidatus interiret:templum nutu diruit,& idolum monumento eliquauit. Quare templi summus sacerdos in uindictam prorũpens, Thomam obtruncauit. Corpus magnifice tunc abs Rege sepul

tum, successu temporis Edissam *urbem dicitur fuisse translatum.* Mailapur *certe appellatur hodie opidum, in quo reliquiæ frequentantur.*

India) Regio est adeo diffusissima in Asia, vt tertia pars orbis aliquando credita sit. Nomen sortitur ab Indo maximo fluuio. Ganges tamen fluuius facit, vt duplex censeatur India, intra Gangem & extra Gangem. *Cæsarea)* Ciuitas Palestinæ Iudææ. *Pœnas dedit)* Sustinuit. *Mailapur)* Raphael Volaterranus de nauigatione loqnens Lusitanorum, refert quod vltra Callicutium milliaribus cxx. est ingens christianorum numerus sancti Thomæ vocatorum, quorum sacerdotes in magna degunt vitæ abstinentia, & in quorum templis crux tantum reperitur. Sacrificant pane azimo, ac vino ex vua passa & aqua expresso, quòd cætero careant. Refert etiam quòd Apostoli Thomæ corpus hinc procul ccel. miliaribus situm est apud oppidum Mailapur haud sane magnū gentibus Soldano, sed iam Turcæ subiectis, custoditum: quod oraculi causa vicinis populis magnopere aditur præsertim Malchiuæ vrbis apud Gangem fluuium sitæ. Vbi aloes & fictilium pulcherrimorum, tum gemmarum copia conspicitur.

TRANSLATIO ISIDORI.

INter alias pacis leges, quas uictor Fernandus *Castellæ simul & Legionis primus rex,* Benabeth *mauro Hispalensi regi, uicto ac profligato dedit, hanc præcipuam ferunt: quòd pateretur corpus sanctæ uirginis Iustæ, quod Hispali tenebatur, Legionem transferri. Quibus datis acceptisque conditionibus, Aluitum episcopum Legionensem, & Ordoniuum Astoricensem Comitem Nugnū, atq; Abbatem sancti Mammetis cū equitum turma* Fernandus Hispalim *misit. Illi responso à* Benabeth *accepto, nescire se ubi Iustæ corpus lateret, disquirerēt ipsi: quò se uerterēt incerti, tandē ad pias preces confugerūt. Peracta igitur triduana precatione, quam indixerat Aluitus: uidere uisus est ipse* Aluitus *in somnis uenerandum quendam antistitem, huiusmodi uerba proferentem. Sat scio te cū tuis sodalibus Aluite uenisse, quo diuæ Iustæ corpus uobiscum auferatis,*

*tis,inque patriam comportetis. Scito tamen diuini menti non placere,Hiſpalim Iuſtæ reliquijs uiduari. Proinde ne uacui omnino remeetis,meum uobis corpus conceditur, quod ſit apud uos pignus,fore me deinceps patronum Legionēſibus.*Re*ueritus uiri maieſtatem* Aluitus,*quæſiuit ex eo quis eſſet, quo nomine uocaretur.Sum,inquit,Iſidorus,huius qui fui urbis antiſtes.*Expergitus *Aluitus ac incertus, an uera uidiſſet,orauit deum,ut iterum ac tertio moneretur.*Quod *ita contigit: nam bis poſtea Iſidorus apparens,eadem uerba retexuit:ultimóque loco corporis ſui ſepulturam ſceptro deſignauit: & mortem ipſi Aluito mox futuram,denunciauit.*Quæ *cum ſodalibus regique* Benabeth *retuliſſet Aluitus, morbo correptus deceſſit.* Rex Benabeth *miratus rem prodigioſam,omnibus proſequendum officijs corpus* Iſidori *ſtatuit.Itaque* Ordonius *Aſtoricenſis epiſcopus alijque ſodales mœſti aliquandiu morte Aluiti:tādem eius corpus & ſimul* Iſidori Legionem *detulerunt.* Quibus Fernandus *rex obuiam cum celebri pompa progreſſus,corpora intulit urbi:diuerſiſque in templis ex prædictione diuina tumulauit:Iſidori in templo* Ioannis Baptiſtæ,*quod à nouo poſtea hoſpite denominatum eſt:Aluiti in primario.*

Legionem ciuitatem) Quæ vulgo leo dicitur,à legione Romana nomen ſumpſiſſe plane confirmatum eſt in Emetherio & Celidonio. *Caſtella*) Proprie dicitur Caſtella regio Burgenſis vſque ad Oceanum, quamuis vulgo iam longius multo nomē euagatum ſit:nam reges Caſtellæ paulatim cæteras Hiſpaniæ prouincias & regna ſibi armis vendicantes, &ſi titulis etiam adiecerunt,quod eminebat tamen libentius vſurparunt,& retinuerunt homines.Nomen etiam traxiſſe Caſtellam à frequētibus caſtellis,quorum princeps fuit Lara & Burgorum arx, memorant:& multa veſtigia teſtantur.

THOMAS CANTVARIENSIS.

THomas Londinij,*quod eſt oppidum* Angliæ,*nobili genere ortus,liberalibuſque diſciplinis eruditus, à* Theobaldo

Cantuarienſi archiepiſcopo clericus primo factus, mox archidiaconus in cuiuſdam demortui locum ſubrogatus: ab Henrico tandem Angelorum rege cancellariatus dignitati aſcriptus eſt. Enimuero regi primoribuſque fuit adeo dilectus, ut mortuo Theobaldo, Cantuarienſis archiepiſcopus eueſtigio ſit renunciatus. Non tamen tantus illi præſulatus, magnos (ut aſſolet) faſtus ingenerauit: quin dignitate parta, quantum oneris ſuſtineret, ſecum reputans, ſe ſuóſque actus deo penitus commendabat. Voluentibus ſe demum annis, cum rex percuperet, Thomam eò pellicere, ut immunitates eccleſiæ regium in commodum minuerentur: bonus athleta Chriſti conſtanter reſtitit, & regi fauentibus noluit epiſcopis aſſentire. Quamobrem magna illi eſt inuidia regis ac procerum conflata: graues inimicitiæ ſuſcitatæ. Tandem pleroſque comperiens magnates ſuam ipſius in necem conſpiraſſe, eccleſiæ magis quàm ſibi timẽs, cõparato furtim nauigio, Romam ad alexandrum tertium nauigauit. Henricus Thomæ diſceſſu commotus, minúſque ualẽs ab Alexandro pontifice impetrare, ut lis illa per legatum in Anglia decideretur, bona omnéſque Thomæ facultates inuaſit, ac diripuit: conſanguineos eius cum omni prole exilio multauit. Thomas autem cum neque apud ſummum pontificẽ tutus eſſet à regis inſidijs, & monachi Pontiniacenſes, apud quos iubente pontifice, diuerſabatur, male hoſpitis cauſa tractarentur, ad regem Galliæ, quo moleſtia leuaret monachos, conceſſit. Tandem cenſuris eccleſiaſticis uictus Henricus, in priſtinam dignitatem reduci Thomam permiſit. Bonus tamen paſtor ſuæ redditus & patriæ & eccleſiæ, nulla neque ui neque precibus ualuit ullis adduci, ut iura pateretur eccleſiæ uiolari. Quare denuo prorritatus rex, quòd anathemati ſubijceretur ob bona, q̃ inuaſerat eccleſiæ: cum exclamaſſet, non auſurum ea ſacrificum, ſi famulos ipſe haberet, quales oporteret: uiri primates quatuor cum armatis familijs cõcitati ſunt in pium Antiſtitẽ. Quibus templum irrumpentibus cum religioſi quidam prodi

rent obuiam,quasi uim suis corporibus à præsule sancto propulsaturi,Thomas in medium progressus, trucidandum se turbæ sceleratæ uictimam deo obtulit.

Anglia) Insula clarissima in oceano septentrionali quæ primo Albion dicebatur,postea Britania,nunc deniq; in duo diuiditur regna Angliæ & Scotiæ:quibus populis non admodum cõuenit. *Cantuaria*) Metropolis est Angliæ in ea parte eius,quę Cantium dicitur,& Galliam atq; Flandriam spectat.

TRANSLATIO IACOBI MAIORIS IN HISPANIAM.

POst Apostoli Iacobi cognomento maioris necem atrocissimam,quam ei perfidi Iudæi Hierosolymis intulerunt:discipuli clam sublato corpore,& in portum delato,nauique imposito,sine remige,sine ullis naualibus instrumentis,soli permisso deo gubernaculo,in Galletiam ultimum Hispaniæ angulũ die septimo deuenere.Sic enim nutu Dei factum est, ut qui in dispersione apostolorum,Hispaniam sorte prouinciam obtinuerat,& in ea non amplius uiros nouem Christo lucrifacere ualuerat:idem uita functus,martyrióque coronatus,per tot maria & Syrtes in eandem Hispaniam reueheretur,& quod uiua uoce non potuit,cadauere trunco christianam pietatem mẽtibus Hispanorũ ingereret. Subducẽtes igitur discipuli magistri corpus è naui,grandi lapidi imposuere. Qui mollis adeo factus est,ut ueluti cæra sole liquescens,illud in se totum exceperit.Inde progressi,Lupam reginam,quæ oram illam ditione tenebat,conueniunt:defuncti corporis mirabilem aduentum denunciant:Christúmque uelle,dicunt,per corpus exanime ueram Hispanias ad fidem resipiscere,cuius essent uocem dedignatæ uiuentis audire,locum itaque sepulturæ monstraret. At uerò Regina re tam Lupa,quam nomine , ad regem eos Hispaniæ misit ; cuius esse dicebat , eiusmodi petita concedere. Rex uinctos in carcerem trusit:sed liberati diuinitus , fugam

illi

illi capesserunt. Milites subsequi fugiẽtes, trucidareque captos iussi, fluminis in transitu refracto ponte periere. Quo rex miraculo attonitus, pios tandem euocari præcepit: factúsque per eos christianus, nihil expostulatis abnuendum iam censuit. Quod cum ad aures Lupæ peruenit, regem scilicet cum omni populo christianum factum apostoli discipulis credidisse, literásque cum mandatis ad ipsam dedisse, supra modum exarsit. Atq; uocatis pijs, literisq; regis inspectis: ite, inquit, & boues meos, quos illo in monte errantes offendetis iungite: plaustróq; corpus uestri magistri, quocunque sit libitum, uehite. Quod eo est profectò animo dictum abs regina, ut discipuli uel à dracone montem illum infestante, deuorarentur, uel ab indomitis tauris discerperentur: uel corpus si plaustro insideret, raptatum distraheretur. Porro discipuli, nullum subesse dolum suspicantes, montem conscendunt: draconem signo crucis interimunt, tauros mansuetißimos reddũt: corpus, ut erat lapide inclusum, plaustro imponunt: taurísque deuehendum permittunt. Illi nullo duce in regiam Lupæ detulere. Lupa mirata rem nouam ac prodigiosam, Christum credidit saluatorem: tum regiam diuo Iacobo templum dicauit, amplißimísque donis expleuit. Vbi frequentibus diu miraculis claruit, & cuncto nunc orbe Christiano aditur, uisitur, ueneratur.

De cognomento Iacobi maioris eiusque nece in altero festo, vbi martyrium recensetur, dicetur abunde. *Gallatia*) Regio est Hispaniæ occidentalis, quæ finis terrarum à maioribus semper credita est. Iam vero Hispani sulcantes oceanum, tot insulas & tractus terrarum continentes inuenerunt ad occidentem & austrum: vt præ magnitudine bonitatéque eorum Europa pene nihil sit. *Syrtes*) Loca sunt inconstanter vadosa: & ideo periculosissima circa fines Africæ quæ est confines Aegypto. Sed pro quocunque periculo interdum ponuntur. *Vita functus*) Defunctus mortuus: nam mortui functi sunt viuendi munere, tẽpúsque vitæ peregerunt. *Cadauere trunco*) .i. truncato: nam iugulatus fuerat Iacobus. *Ditione tenebat*) Regnabat & gubernabat: quoniam suæ ditionis erat.

SYLVE-

SYLVESTER.

Sylvester pontifex Romanus, Romanis eſt parẽtibus ortus, & à Cyrino preſbytero eruditus, ac ſacris initiatus. Hic poſt Thimothei martyrium, quem Antiochia uenientem, exceperat hoſpitio: cum carcerem, nimioſque ſuſtinuiſſet cruciatus, quòd diuitias Timothei, quas non habebat, tradere, idoliſque ſacrificare iuberetur: tandem morte Tarquini præſidis repentina, quam ei prænunciauerat, carcere criminibuſque abſolutus eſt. Poſt uerò Conſtantini adhuc idolatræ cenſura in Chriſtianos ſæuiente, cum Melchiades Romanus pontifex per matyriũ ad cælos euolaſſet: cleri populique ſuffragijs ad pontificis functionem Syluester euectus eſt. In qua quidem ſic uita fuit moribuſque integerrimus, ut æque ab omnibus amaretur: ſic in pauperes ac uiduas largus, ut omnium parens uideretur. Sed tandem à monte Soracte reuocatus, ubi perſecutores fugitans, latitabat: Conſtantinum Imperatorem puerorũ ſanguine ſeſe quorundam perſuaſione abluere parantem, quo lepra mundaretur, baptiſmate ſacro lauit & à morbo ſimul uindicauit. Quare poſtea Conſtantinus Chriſtianam nimium pietatem auxit: legeſque tulit, Chriſtianis maxime conducentes. Sed neque his poſtea contentus, urbem Romam cum adiacenti regione Syluestro conceſſit, eccleſiæque perpetuo poſsidendam tradidit: translato Bizantium Imperio, urbem quam ille & refecit, & ſuo de nomine Conſtantinopolim appellauit. Hic ſanctiſsimus pontifex Syluester Niceam Bithyniæ ciuitatem cccxviij. patrũ concilium cõuocauit. Hic ſacras ceremonias auxit: ieiunia quædam inſtituit: uſum ueſtium per ordines miniſtrorum diſtinxit: linteolum ſacræ ſupponendum hoſtiæ, fieri ex lino mandauit. Multa quinetiam miracula edidit. Nam & taurum, quem Iudæus quidam magus uerbis in aurem prolatis, interemerat, Ieſu uerbo ſuſcitauit, ac cicurauit: draconem flatu mortales perimentem, ope diuina ſuperauit, ac uinxit. Sed cætera melius pio lectori aliunde petentur: nobis euagari longius nõ est permiſſum.

missum. Obijt Romæ tandem Syluester pridie Calendas Ianuarias Constantino Cæsare Imperante.

Ad pontificis functionem) Functio munus quodcunque est siue magistratus prophanus, siue sacer pontificatus. *Soracte*) Mons est non longe distans ab vrbe Roma. (*icurauit*) Mansuetū reddidit. Quod refertur de elephantia & sanguine puerorū, & alibi quædam eiusmodi apocrypha sunt & forte reijcienda: cum non reperiātur apud graues autores. Sed iussi sumus certos autores sequi, à quibus nobis deuiare non licet, præsertim in his, quæ sunt iam pro miraculis recepta.

BASILIVS.

Basilium doctorem egregiū Cappadocia tulit. Athenæque erudierunt. Qui etsi præ cunctis eius ætatis hominibus in rethoricis eminuerit: philosophiam tamen, & reliquas bonas disciplinas etiam studiosissime complexus est. Habuit uir pius Gregoriū Nazianzenum conterraneum & æqualem in studijs socium: à quo etiam ad monasterium de doctoris cathedra (uerbis utimur Eusebij) manu iniecta perductus est: tantū sibi Gregorius de collegæ amore præsumpserat. Vbi ambo per annos tredecim, remotis libris secularibus, solæ scripturæ diuinæ intenderunt. Iamque sufficienter instructi, cum diuina dispensatione ad imbuendos populos uocarentur, alius alio itinere, sed ad idem opus discessere. Basilius ponti urbes & rura obeundo, populos sic edocuit, ut breui permutata totius prouinciæ facies uideretur. Igitur non multo post Cæsareæ Cappadocum præsul factus, ab imperatore Valente, qui Arrianis faue bat, iussus est sedem deserere, & in exilium ire. Cumque minime obtemperaret, uique contumax ad tribunal præfecti traheretur: nox ei ad deliberādum data est. Tū Basilius, ego inquit, præfecte cras ipsius ero qui sum: tu utinam non muteris. Et ipsa nocte uxor Valentis cum ueluti tortoribus tradita, cruciaretur, filius qui erat eis unicus extinctus, paternæ creditur impietatis expendisse supplicia. Valens ante lucem misit ad Basilium,

lium,qui rogarent,ut uel ipsi parceretur. Quare factum est, ut cæteris orthodoxis pulsis,Basilius ob metũ seruaretur.Post hoc uitam instituit monachorum:de cuius præceptis ac institutis librum condidit.Sed uolumina quæ composuit elegantissima ac docta,non nostri nunc est instituti referre:cum præsertim ex Hieronymo poßint cognosci.Iã uerò miracula,ac prodigia plura fuerunt,quam ut breui poßint comprehendi. Deceßit tandem,cum mortis horam contra medici aßertionem prædixißet,ac produxißet,unde medicus diuinam in eo uocẽ agnoscens,baptizatus est.

Cappadocia) Regio est Asiæ,quam Halys fluuius ab occidente terminat,Thermodon ab oriente,à meridie Cilicia:Plinius à Cappadoce eius regionis fluuio vocatam dicit,cũ prius Leucosyria diceretur.*Athenæ*) Ciuitas Atticæ regionis clarissima. *Gregorius NaZianZenus*) A Nazianzo Cappadociæ oppido,vir sacrarum literarum studiosissimus,vt ex eius ingenij clarissimis monumentis apparet. *Tantum sibi de collegæ amore præsumpserat*) id est,tantum sibi fiduciæ de amore collegę iam sumpserat.*Ponti vrbes*) Pontus regio est late patens in Asia:sed est etiá regio Cappadociæ.

DEDITIO VRBIS GRANATAE.

Bellum Granatense religiosißimis principibus Fernando & Elisabellæ diuinitus conceptum,strenue gestum,felicißimeque confectum,ad Dei laudem & gloriam recensemus: ut inter gratiarum actiones plebs fidelis intelligat unde huius diei tam celebris solemnitas emanarit.Catholico regi Fernando & Elisabellæ reginæ nihil quicquam,post pacem Hispaniæ redditam,cordi magis fuit,quàm hæresim Hebraicam extirpare,christianamque pietatem ubique aßerere.Quod ut plenius exequerentur,Mauris Christi hostibus cctingẽtos iam annos regnum Granatæ in Hispania poßidentibus,bellum intulerunt:quod decẽ annos protactũ,undecimo est tandem finitum. Longũ tamẽ eßet quæ singulis annis gesta sunt cõmemorare: cum

Hanc d ditione Grana Anton Regiu diarũ triard. Burgẽs episcop e Brem rio fust lit,sup. stitiosi indica.

ræſulem 'onſecã, ui celeritatibꝰ uſmodi ›bis inalgēdũ nſebat, eq; ad m ſcrindam duxet.

cum tot fuerint ciuitates & oppida ualidißime expugnata,tot acerrime debellatæ phalánges. Nam et Cathama direpta, Alora per deditionem recepta. Rhonda furto occupata, Baza uiribus exhauſtis, noſtris cedere coacta: Almeria expugnata: Malacha poſt longam grauemque obſidionem in deſperationem redacta, Almunecar diruta, ſoloque æquata: Mũda exciſa: Marbella ferro ignique uaſtata. Sed quia nos coarctandi neceßitas intercludit, & nec Fernandum & Eliſabellam fœderis unicũ coniugalis exemplum, celebrare pro meritis, limites dati permittunt: ad ipſum belli decus & robur urbem Granatam tranſcurramus. Anno huius belli decimo, ante mœnia Granatæ urbis inuictißimi reges uexilla poſuerunt. Vbi tumultuariæ inter noſtros Agarenoſque ſed atroces perſæpe pugnæ interceſſerunt, quibus rex præſidebat: eiuſque auſpicio cuncta gerebantur. Quippe Regina, ne à bello rex auocaretur, ſemper in caſtris excubabat, conſultandiſque rebus, quæ ad regnorum gubernationem pertinebant, uiriliter incumbebat. Quare forte menſe Iunio cum audiendis legationibus multam ad noctem prudẽs fœmina uigilaſſet: feſſa tandem in ſacellum, quod regium erat intra tabernaculum, pijs precibus indulſura, conceßit. Vbi cunctis ſomno preßis, paululum etiam obdormiuit. Erat ſacellum introrſus lineum, extrorſus è ſæpibus aridiſque ramuſculis cõtextum: quod cum uento agitatetur, lucernæ flammam, quæ fuerat inconſideranter à Regina linteis admota, corripuit: aridæque materiæ ſubminiſtrauit. Ignis fragore expergita regina, oblita tot precioſißimarum rerum, quibus erat tentorium refertißimum, ſyngraphorum arculam eripere ſolum tẽtauit. Cæterum poſtquam flamma longius euagata, multorum ope partim ſuppreſſa eſt, partim ipſa, deficiente materia reſedit: confeſſa ſe regina ingnis autorem omne: quod eſt per reliqua tentoria abſumptum dominis per extimatores numerari præcepit: ut ſola ſentiret damnum, quæ intulit. Reliquum noctis reficiendis pauperibus impertiuit. Sed ut cætera nũc prætermittamus,

tamus, Anno christianæ salutis millesimo quadringẽtesimo nonagesimo secũdo, Ianuarij die. 2. Baudelis rex Granatæ decẽnali bello iam fractus, uiris ac pecunijs exhaustus, spe denique (quod pluris est) propter noua surgentia tecta (sancta fides nũc oppidũ est) destitutus deditionem fecit: hoc solum pactus, ut liberum sibi esset, in Aphricam trãsfretare. Fernandus *&* Elisabella *magno splendidóque comitante exercitu, succedunt ad mœnia, uenientemque obuiam* Baudelem *benigne excipiunt. Qui licet uictus, regem se tamen ostendit: non alio reges salutans tenore uictores ac tantos, quàm si regno staret incolumis, & uiribus integris in colloquium deuenisset. Sequebatur* Baudèlem *longus ordo captiuorum, redemptionem suam factam et uisitam à deo gratulantium, profusissimoque gaudio prædicantium. Demum catholicus rex portis ciuitatis cum omnibus copijs appropinquauit: & ibi tantisper mansit, donec crucem castelliferumque uexillum arcis summæ capitello sublatum prospexit, Regina è tumulo quodam prospectabat, crucemque domini flexis genibus adorabat. Vtrobique tamen, & apud regem & apud reginam cantores modulatis uocibus,* Te Deum *laudamus personabant.*

(*Catholico regi Fernando*) Fernandus rex auus maternus Caroli Cæsaris. Catholicus iure optimo dictus est à summis pontificibus: quia potissimum incubuit ampliandæ religioni christianæ, & Romanum pontificem semper vt verum parentem, & caput ecclesiæ colendum maxim estuduit. *Post pacem Hispaniæ redditam*) Ante Fernandum & Elisabellam bellorum ciuilium incendijs ardebat Hispania. Tantum cuique licebat, quantum armis poterat: omnes viæ latronibus infestabantur: nihil vsquam tutum erat à grassatoribus. Quippe Henricus Elisabellę frater, qui ante ipsam regnauit, adeo fuit socors & incuriosus in administranda republica, vt ab omnibus contemneretur, omnia sursum deorsum, quasi nullus regnaret, seditiosorum ex voto ferrentur. Fernandus tamen & Elisabella statim inito regno, pacem Hispaniæ reddiderunt & velut exulantem reduxerunt. *Tot debellatæ phalanges*) Tot copiæ victæ atque profligatæ. De

bellare enim vincere est,& bello finem imponere. *Phalanx*) Acies erat Macedonica:nunc verò testudo connexa rectè dicetur. *(oartandi necessitas intercludit)* Necessario nobis erat breuitati studendum,ne mensuram à Fonseca præsule datam, excederemus. *Fœderis coniugalis*) Matrimonij. *Tumultuariæ*) Non præmeditatæ. *Auspicio*) Voluntate & arbitrio. *Redemptionem suã factam & visitatam*) Psallebant scilicet canticum Zachariæ. Benedictus dominus Deus Israel,quia visitauit & fecit redẽptionem plebis suæ *Castelliferum vexillum*) In vexillis ac signis regis Hispaniæ semper eminet castellum à Castella regno præcipuo & primo.

IVLIANVS ET BASILISSA.

IVlianus uir nobilis Antiochensis, christianis parentibus ortus, annum agens decimum octauum, ducere Basilissam uirginem, & genere et professione non imparem, coactus est. Ante tamen quam Iulianus parentibus assentiret, diuinis est colloquijs admonitus, mansuram sibi uirginitatem solidam ac inconcussam. Nocte itaque nuptiali uirginitatem sponsæ diuino spiritu iam afflatæ, facile persuasit: præsertim quòd ipsis de uirginitatis merito colloquentibus, uisio est cœlestis obiecta. Itaque duobus sic amor diuinus insedit, ut mortuis parentibus, facultates partim pauperibus, partim duobus construendis monasterijs impertierint. Quorum alteri, quod fuit monachorũ, Iulianus præfuit: alteri uirginum Basilissa. Grassante tum temporis per omnem Syriam Ethnicorum in christianos sæuitia, Basilissa suo timens sodalitio, fletibus ac prece obtinuit, ut uirgines Christus ad se reciperet: priusquam carnificum experirentur flagitia. Quæ paulo post mortuæ, Basilissæ omnes apparuere, magna de beatorum uita nunciantes. Illa uisu gaudibunda, contendit ad Iulianum: & cum uissa cæpisset, auditaque referre, medio in sermone defecit, & animam Christo reddidit. Martiniano præside per id tempus Antiochiam ingresso, copia christianorum confugit ad Iulianum. E quibus solus ipse dux ac princeps uinctus est: reliqui omnes ad unum

cum cœnobio exusti. Multa tunc idola prece Iuliani contrita sunt: cæcus quidam illuminatus: puer Celsus Martiniani præsidis filius, & uxor baptizati. Non tamen est Martinianus motus, sed prodigia quæ Iulianus paßim faciebat, magiæ cæcus ascribebat. Quid præses non tentauit, quo filium & uxorem à uia Christi deduceret? Quæ genera tormentorum in Iulianum non explicuit, dixerit, intendit, quo illum à cohortanda christiana turba, martyrióque uouenda deterreret? Sed tãdem miraculis attonitus, Iulianum, Celsum filium, & uxorem, Antonium etiam presbyterum, ac iuuenem Anastasium, quem Iulianus suscitauerat, carceri dedit: milites uiginti decollauit: septem nobiles fratres igni consumpsit. Postero die productus Iulianus, & uincti cum eo, Iouis templo inferuntur: quod prece Iuliani subrutum cum idolis est. Iußi postea supposito torreri igne, caput Celsi excoriari. Antonius Anastasius exoculari, postremo bestijs omnes in amphiteatro exponi, cum nihilo læderentur, quin magis tortoribus insultarent: capite simul damnati, & securi percußi sunt.

Antiochia) Ciuitas Syriæ regionis Asiæ. *Tortoribus insultarent)* Irriderent & contumelijs afficerent.

FVLGENTIVS.

FVlgentius Fulgentij Toletani ciuis filius, uir Græcarum Latinarúmque literarum apprime peritus, à Fausto præsule iuuenis admodum relegatus, monachum professus est. Multas uir pius ab arrianis insidias damnáque tulit: sæpißime cæsus, multísque modis agitatus: nihilominus tamen abbas cœnobij creatus est. Crescente postmodum arriana peste, è monasterio fugatus, ac rursus opitulante Deo, reuocatus: tandem ad episcopum Ruspensem, uel ut alij uolunt, Tingitanũ, quod oppidum Tanger in Mauritania nunc dicitur, est euectus. In qua quidẽ functione nõ ignauiæ aut socordiæ se dedidit: sed uerbo ac exemplo proficiẽs, nonnulla aduersus arrianos opuscula

composuit. Quare arrianorum opera factum est, ut cum quadraginta episcopis in Sardiniam exul abierit. Cæterum postea reuocatus inde, cum honores summáque sacerdotia nihil ad ueram conducere salutem animaduertit: episcopatu cessit, cœnobiúmque repetiuit. Vbi priuatus ad ultimum uitæ perseuerans, mortuus est, Anastasio primo imperante, Gelasióque summum pontificatum administrante. Multa fulgentius uolumina edidit, quibus literæ sacræ illustrantur: in faustum unum non inelegans, homilias & sermones non incelebres: sed & Mythologiæ quam plurimum eius commendat ingenium.

Toletum) Ciuitas Hispaniæ metropolis & primaria. *Relegatus*) quia cum arrianis non sentiebat. *Monachum professus est*) Monachorum ordini sese libenter addixit. *Episcopatui cessit*) Episcopatu se abdicauit. *Mythologiæ*) Sermones fabulosi, de quibus Fulgentij liber plurimum commendatur.

PAVLVS PRIMVS EREMITA.

CVm apud inferiorem Thebaidam Paulus annorum quindecim, utroque orbatus parente, cum sorore uiro tradita moraretur, literisq; tam Græcis quam Aegyptiacis erudiretur, persecutionis, quam Decius & Valerianus in christianos exercebant, detonante procella, in uillam secretiorem secessit. Non tamen longas ibi moras traxit. Quippe sentiens sororis maritum ob hæreditatem insidias tendere, persecutoribúsque uelle prodere, montium in deserta confugit. Vbi speluncam nactus quam uetus palma tegebat, fonsque uitreus decorabat, ad ultimum uitæ perseuerauit. Centum & tredecim annos agebat uir cœlestis in terris (nam media uitæ incomperta sunt) cum ab Antonio nonagenario, qui eandem solitudinem incolebat, quæsitus ac salutatus est. Dormienti siquidem reuelatum fuerat Antonio, multo se meliorem eadem in eremo uirum habitare, ad quem uisendum deberet festinare. Itaque non distulit profectionem uenerandus senex: sed arrepto mox bacillo, tendit ire, quò nesciebat. Nullum in tanta habuit solitudine, quem

de uia

de uia quæreret,præter unum Hyppocentaurum,*et neſcio quē ſiue* Satyrum,*ſiue* Faunum *ſemihominem:peruenit tamen,quò intēderat,ménſque diuina direxerat.*Reperto *igitur* Paulo *in tra ſuum antrum,poſt acceptam reddit ámque ſalutē,poſt mul ta hinc inde quæſita atque relata,contentio ſumma inter eos orta eſt,quis frangeret panem,duplicatum tunc miſſum è cœlis propter hoſpitem.Conuenit tamen,ut ad ſe quiſque niteretur, panem utrinque tenentes.Inde aqua limpida bene poti,ad diui na colloquia redierunt.*Paulus *ſciebam,inquit,te frater his in ſolitudinibus habitare:téque mihi promiſerat* Deus. *Proinde quando in tempore uenis cito mihi morituro, ſepeli obſecro corpus meum.Hæc audiēs* Antonius *flebat:ſeque ne deſereret: aut ſi minus cōmitem ferret,precabatur.*Cui Paulus,*diuinæ pa rendum eſt uoluntati.Abi tu,rogo,& pallium,quod* Athanaſius *tibi dedit,affer,quo tegas corpus meum. Stupefactus* Antonius,*quomodo ſcire potuiſſet de pallio,abijt:& cum nimis ce leriter reuertiſſet,paulum mortuum repertum,adiutus à leonibus,ſepeliuit.*

Apud inferiorem Thebaidam) inferiorem partem Thebaidis. Nam Thebais ſiue Thebaida regio eſt Aegypti ad Nili ripas, vtrinque ac vndiq; propemodum montibus circundata. *Decius & valerianus*) Imperatores Romani. *Detonante procella*) Ad inſtar tonitrui omnia terrefaciente. *Hippocentaurus*) Homo eſt equo mixtus(vt Hieronymus inquit,à quo plæráque huius Hiſtoriæ deſumpta ſunt,ne taceamus in hac parte, per quem profecerimus)ſuperne quidem homo,inferne equus,quod animal Romam aliquando Plinius teſtatur,allatum. *Siue Satyrum ſiue Faunum*) Hunc Satyrum,refert Hieronymus,Antonio reſpondiſſe quærenti,quiſnam eſſet,vnum ex accolis eremi eſſe,quos vario errore deluſa gentilitas Faunos Satyroſque & incubos vocans colit,haberéque nares aduncas,frontem cornibus aſperatam,& partem corporis extremam in caprarum pedes deſinere. *Duplicatum tunc miſſum è cœlis propter hoſpitem*) De hoc ita inquit Hieronymus.Inter has ſermocinationes ſuſpiciunt alitem coruū in ramo arboris conſediſſe:qui inde leuiter ſubuolauit,

lauit,& integrum panem ante ora mirantium deposuit. Post cuius abscessum,eia inquit Paulus, dominus nobis prandium misit vere pius,uere misericors.Sexaginta iam anni sunt quod accipio dimidij semper panis fragmentum,verum ad aduentum tuum,militibus suis duplicauit annonam.

HILARIVS.

Hilarius Aquitanus postquam expertus coniugium,filiam progenuit,relictis mundi curis ac delitijs, sacris initiatus est. Annis deinde succedentibus,clericorum populique suffragijs Pictauensis episcopus factus, fuit usq; adeo hæreticorum insectator ac hostis,ut quorundam arrianorum episcoporum persuasione, in Phrigiam à Constantino Romano principe relegatus sit. Scripsit inde epistolam ad filiam Apiā dehortans à connubio,quam illa non aspernata, uirginitatis perpetuæ uotum concepit. Sed timidus adhuc pater,ne filiæ integritas aliquādo laberetur Deum Optimum Maximum exorauit,ut eam de uita tolleret:quod item postea impetrauit pro coniuge. Longe lateq; arrianorum hæresis diffundebatur, & impetratum fuerat ab imperatore,ut synodus Seleuciæ conueniret,quo Christi ueritas elucesceret. Ad quam Hilarius nihil cunctatus,cum inter primos aduentaret, arriani eius supra modum expauescentes facundiam,incomparabilémque sapientiam:cum imperatore,qui ab ipsis stabat,egeruntut ad Pictauensem ire ecclesiam compelleretur,quo longe à concilio discederet. Ille tamen inter eundum in insula Gallinaria serpentes,quorum erat cum pernicie hominum magna copia, cōpescuit:facereq; imperata coegit. Pictauis etiam infantem sine baptismo defunctum, precibus intentißimis ad uitam reuocauit. Postremo cum multis claruisset miraculis, & mortem suā prædixisset, Pictauis mortuus est Valentiniano & Valente Romæ regnantibus:ubi non paucis miraculis inclaruit. Libros quos composuit, diuus Hieronymus inter illustrium monumēta recensct.

Aquitania) Tertia pars Galliæ finitima Hispaniæ. *Pictones*) Populi sunt Galliæ Aquitaniæ. Nunc Pictauenses dicuntur. *Phrigia*) Regio est Asiæ. *Votum concepit*) Secum deliberauit ac vouit. Votum enim promissio est facta Deo. *Synodus*) Cõuentus interpretatur. *Seleucia*) Syriæ ciuitas. *Gallinaria*) Insula est in mari Tusco.

MARCELLVS.

Rediens ex Aphrica Maximianus imperator, thermas construere cœpit in gratiam Diocletiani. Quibus christianos omnes quasi capitis reos destinauit: alios ad fodiendas lapicidinas, alios ad egerendã comportandãmq; arenam, alios alio. His omnibus uir quidam nobilis Tarson subministrabat quam ocultißime necessaria, per uiros uere pios ac sanctos Sisinium, Cyriacum, Largum, & Smaragdum. Quod pontifex Marcellus intelligens, Sisinium, Ciriacum, Largum, & Smaragdum collaudatos diaconos consecrauit: eosdem postea trucidatos ob Christum sepeliendos curauit. Per idem tempus Lucina christiana & admodum diues fœmina, quòd suas omnes facultates ecclesiæ dederat, à Maximiano proscripta & in exilium acta, Marcellum rogauit: ut domum, quam ipsa Romæ magnificam habebat, ecclesiam dedicaret. Maximianus id cõperiens, nouam ecclesiam publicum fieri stabulum, & in eo cuncta stabulari iumenta præcepit. Cui fœdo ministerio Marcellum præfecit, quòd autor fuisset ecclesiæ dicandæ. Marcellus pontifex uere maximus longis in eo munere iactatus laboribus, ac opprobrijs, tandẽ animam deo reddidit. Corpus Lucina Priscillæ cœmiterio funerauit. Hodie stabuli locus celebre templum est Marcello dicatum. Nam quod in dedecus & contumeliam fuerat excogitatum, in summam ei gloriam cessit.

Thermæ) Loca sunt amplissima & sumptuosissima, quæ aut calentibus aquis, aut ipso sine aquis fornice igne calefacto, lauandi sudandíque vsibus deputata sunt. *In gratiam Diocletiani*) qui simul cũ ipso imperabat collega & particeps imperij. *Pri-*

scillæ cœmiterium) Celebre Romæ fuit Priscillæ cœmiterium via salaria apud ecclesiam sancti Syluestri.

ANTONIVS ABBAS.

ANtonius uir Aegyptiaci sanguinis, nobiles piosque habuit parentes, à quibus licet indulgenter admodum puer nutritus est, semper tamen ipse sua sponte ecclesias frequentauit. Ad annum decimum octauum perueniens, defunctis parentibus, & facultatibus inter egenos distributis sorore quinetiã sacris uirginibus cõmendata, eremum adijt: monachúmq; professus est. Multas diaboli persecutiones tulit, quas uigilijs continuisq; precibus superabat. Sed maxime cum in spelunca solus ageret, adeo fuit semel insigniter excruciatus, ut minister, qui cibum ferebat, uix humeris moribundum in uillam portauerit. Vbi iam deploratus repente conualuit: & in conflictionis locum reductus, dæmones quasi de integro in pugnam prouocauit. Longum esset, si certamina belláque intestina, quæ cum diabolis iam solus, iam inter sodales frequenter gessit, commemorare persistam. Satis quidem constat eius sanctimoniæ famam tam celebrem ubique fuisse: ut Helena Constantini *Cæsaris mater, ei se atque filium per literas commendauerit. Solo pane et aqua utebatur ad uictum, atq; id semel fere sub noctem. Omne tempus intentißimis ad deum præcationibus expendebat, nonnunquam sodales monachos inuisebat, & ad superandas hostis callidi delusiones, mundique contemptum exhortabatur. Mortem suam (ingentem miraculorum syluam prætermittimus, ut breues simus) monachis, qui in abstrusa montis conualle latitabant, prænunciauit, eósq; ualere iußit: mox cellam repetens, morbum contraxit: & dum monachos duos, quorum fuerat quindecim annos usus ministerio, de breuitate uitæ, paradisiq; immensis gaudijs alloquitur, exspirat. Hieronymus autor est floruisse Antonium sub Constantino & filijs eius: epistolásque aliquot ægyptiace scripsisse, quæ ob sentẽtiarum pondus*

dus in linguam Græcam translatæ sunt: uixißéque centum & quinque annos.

Deploratus) Deplorati dicuntur, quibus vltimus luctus est persolutus. *Bella intestina*) Magna, vel oculta. *Sub noctem*) Adueniente nocte, alias per noctem.

SEBASTIANVS ET FABIANVS.

Diuus Sebastianus Narbonēsis, *sed* Mediolano *ciuis ascriptus, usque adeo fuit* Diocletiano *& maximiano principibus charus: ut ductor ab eis primæ cohortis fuerit factus.* Vir *ea certe pietate sapientiâque, ut militiæ sacramento nihil ob aliud se deuinxerit, quam ut christianis, qui paßim sub imperatoribus discruciabantur, hortator in tormentis adesset, ne deficerent.* Marcus *&* Marcellianus *gemini fratres, quos* Sebastianus *fecerat orthodoxos, post sæua superata supplicia triginta induciarum dies à* Chromatio *urbis præfecto acceperant: nimirū: resipiscerent, Christum abnegātes, ut aut caput ensi submitterent. Iam parentes & consanguinei, frequens iam turba cō uolauerat ad eos, ac ne pro Christo mortem oppeterent pene persuaserat: cum Sebastianus in medium progressus, orationē habuit uehementem.* Non *uerbis eos solum, sed rebus etiam cōfirmauit.* Vxor *quippe* Nicostrati, *cuius in domo uincti tenebantur, usum loquendi, sex ante annos amissum, Sebastiani pedibus prouoluta, recepit, angelos se uidere asserens, qui Sebastiano uerba dictabant.* Quo Nicostratus *miraculo, parētésque iuuenum, & alij quam plurimi baptizati sunt.* Chromatius *etiam præfectus &* Tyburtius *filius miraculis permoti, christiani esse uoluerunt.* Quibus *omnibus per martyrium ad superos transmißis, insinuatum est* Diocletiano, *Sebastianū eos ad martyrium pellexisse: & ut tormenta mortémque contemnerent, persuasisse.* Vocatur *Sebastianus: & cum eo Diocletianus expostulat, quòd in deos ac imperatores fuisset nimium ingratus. Sebastianus refert, se uirum christianum, imperij sta-*

tum firmum semper pijs deprecationibus, stabiléмque uoluisse. Furit ad hæc Diocletianus, & faciem auertens, iubet, illigatum ad palum Sebastianũ protinus sagittis impeti, crebrisque ictibus perforari. Quod cum exequeretur militaris turba, iãq; comminutus, ac demortuus putaretur: insperato reuixit, seq; Diocletiano uiuum ostendit. Diocletianus contemnens tãdem, quæ diuinitus effabatur, medio palatij hippodromo fustibus imperat ad mortem cædi.

FAbianus ciuis ac pontifex Romanus, inter multa quæ docte sapientérque instituit, hoc fuit præcipuum: ut chrisma sacrum quotãnis in cena dñi renouaretur, uetus combureretur. Sacerdotes cuiuscunque criminis rei in sacro, non in prophano foro causam dicerent. Nulli intra quintum consanguinitatis gradum ducere uxorem, fas esset. Qui cũ uices Petri quatuor decim annos egisset, à Decio Philipporũ cæde cruento, martyrio affectus est: et à pijs in cœmiterio Calixti uia Apia cõditus.

Narbo) Colonia est, quæ ob claritatem nomen dedit regioni, quæ Narbonẽsis dicitur in Gallia, in qua Sebastianus natus est: sed à Mediolanensibus postea fuit ob virtutes eximias ciuitate donatus, hoc est ciuis ascriptus. Est autem Mediolanum ciuitas illustris in ea parte Italie, que quondam Gallia Cisalpina dicebatur, & eius habitatores Galli insubres. *Ortodoxos*) Bonæ existimationis & fidei viros. *Impeti*) Inuadi. *Demortuus*) Omnino mortuus: *Hippodromo*) Cirriculo equorum. Locus erat latus & planus & expeditus ad cursum multorum equorum. *Causam dicerent*) Dicere causam est, reũ accusatoribus respondere. *A Decio Philipporum cæde cruẽto*) Decius imperator, occisis duobus Philippis principibus Romanis patre & filio, quos fuisse christianos Orosius affirmat, imperium arripuit, & in christianos sæuitiam exercuit. *Cœmiterium*) Locus erat sacer ad sepelienda corpora sanctorum, & fuerunt multa cœmiteria varijs in locis vrbis & extra. *Via Apia*) quam appius Claudius cẽsor strauit à porta capena Capuam vsque, & Traianus imperator post longum tempus instaurauit adusque Brundusium.

AGNES.

Beatißi-

BEatissima Agnes Romæ claris orta natalibus, tertiodecimo ætatis anno rediens à scholis, ab urbis præfecti filio uisa simul & adamata est. Qui cum comperit, nobilē esse uirginem, multa cœpit ostentare, multa polliceri, quo pelliceret ad connubium. Nullum miser tempus omittebat: nulli loco deerat: quin iam per amicos & necessarios, iam per seipsum tentaret, solicitaret, mundi opes promitteret. Cui tandem Agnes: discede, inquit, a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis. Alium te habeo ditiorem pulchrioremque amatorem, cui meam fidem astrinxi, quem fallere, dulcis amor non sinet. His inops animi iuuenis, æstuat, anhelat, suspiria trahit, carpitur igni cæco. Nam quo magis contemnebatur infelix, eo magis intus ardebat, tandem æger lecto prosternitur. Pater Symphorianus morbi ex amore contracti factus à medicis certior, promittit eadem, & multo maiora quam filius. Abnegat uirgo sancta, sponsi prioris posse fidem abrumpere, nuptialiáq; fœdera uiolare. Querit præfectus de sponso priori: & Agnetem comperit, esse christianam. Verum quia nobili uim facere nequibat, arguit christianismi: iubet accersiri, blanditur, rursus deterret: deridetur tamen à uirgine. Tandem optionem dedit Simphorianus Agneti, utrum cum uirginibus mallet Vestæ sacrificare, an cum meretricibus scortari. Vtrumque respuit Agnes, Christóque fidens nihil timere, se dixit. Trahitur uirgo pia sub uoce nuda præconis ad lupanar: præfecti filius ingreditur ad eam: & antequam manu tangat, in faciem ruit: atque perfocatus à demone expirat. Fit ab uniuerso populo concursus. Præfectus mortis causam cognoscit ex uirgine: dicitque si fidem dictis uelit haberi, suscitet mortuum. Cui Agnes: quamuis nulla, inquit, uestra præcesserint merita, ut a domino id impetretis: tamē, quo uirtus dn̄i mei Iesu Christi penitus innotescat, foras prorumpite, sola dominum exorabo. Cunctis foras egressis, orat Agnes: & mortuus excitatur, Christum magnificat, inque idola inuehitur. Magna tū ccori-

tur

tur seditio à pontificibus & aruspicibus procurata, magam, maleficam, tollendam, cruciandam uociferantibus. Aspasius ui carius à Simphoriano relictus, iubet in ignem præcipitari: sed orat Agnes, & discedit, ac penitus extinguitur ignis. Quare timens Aspasius seditionem, adigi gladium Agneti per guttura mandat. Parentes uirginis corpus in uia Numentana sepelierunt.

Fomes) incitamentum. *Adigi gladium*) Affigi, immitti. *Via numentana*) Ea est qua itur Nomentum oppidum Sabinorum.

VINCENTIVS.

Vincentius Entichij Enolæque filius, quem Osca ciuitas Hispaniæ alumnum sibi uendicat, pueritia bonáq; parte adolescentiæ non sine fruge peractis, apud Valerium Cæsaraugustanum antistitē mores, sanctioresq; literas excoluit. A quo le uita, mox Archidiaconus factus, concionandi munus ultro suscepit, eo quòd episcopus ipse uitio linguæ balbutiret. Per idem tempus Diocletiani & Maximiani uicarius in Hispania Dacianus, christianos ad culturam deorum per sæuos cruciatus adigebat. Cuius ad aures cum nomen, celebrisque fama Vincētij peruenit: uinciri cum Valerio simul episcopo, inque carcere detineri præcepit. Proficiscens deinde Valentiam, trahi catenis collo pendētibus, iussit: datósque custodiæ, siti inediáque macerari. Tandem cum integros postea nulláque macie deformatos conspexit, fidem arguit custodum, quòd aduersus imperia dapibus eos saginassent. Cæpit exin præses subiratus, Valerium interrogare, quanam dementia imperialibus ire aduersus edictis concepisset: ille hæsitatione linguæ non ualens, expedite uerba proferre, Vincentio munus respondendi legauit. Vincentius nihil cunctatus, dæmones esse gentium Deos, dicere: séque colere Christum: à quo certi essent, nulla ui posse separari. Furit ad eam uocem Dacianus, & episcopum iubet, in exilium ire, in quo aliquot post annos perijt. Vincentium uerò, ut

rô.ut temerarium,rebellémque iuuenem in eculeo deartuari. Quærebat ex eo Dacianus,cum torqueretur,num se miserum intelligeret? Num sui corporis miserias contemplaretur? Cui Vincentius subridens:habeo tota quod mẽte petiui. Plurimum tibi debeo præses,qui mea uota secundaris, qui maximis meis desiderijs subscripseris. Dacianus ubi uidet Vincentium in eculeo ridibundum concionari,tortorum moras segniciémque castigat:percutit eos,flagellat. Illi pectines,unguésque ferreos de nuo corripientes,excarnificant pium,imáque ad uiscera descẽdunt. Toto iam corpore manabat sanguis, internáque uiscera cuncta patebant:carnifices quin ipsi fessi,conciderant,at miles Christi tripudiat,satísque probat Dei charitatem non uinci. Eculeo tandem depositus,ad ignem ducitur. Ille quidem lætus festinat:carnificésque tarditatis lentíque gressus incusat, & cũ craticulam candentem conspexit,ultro eam conscendit. Exuritur ibi,assatur,torretur,strident artus,ignis sanguine conspersus fumat,infusóque sale furit. Nec summa solum cutis, sed uiscera tota flammescunt. Miratus tantam Vincentij tolerantiã Dacianus,intra fœdum tetrúmque carcerem concludi, & ibi super testas acutas nudum,ligatúmque præcepit extendi. Cæterum pro pœna tormentóque uoluptas,& summa gloria successit. Diuinus quippe fulgor carceri repente affulsit:testarúmque durities nitentium rosarum speciem exhibuit. Vincula soluuntur,martyrq; Dei inter cœtum angelicum æthereæ carmina modulatur. Quæ singula custodes rimulis captantes, mirantur,séque christianos fatentur. Dacianus omnium factus certior,uictum se dolet,& Vincẽtium iubet in lectum mollibus stramentis compositum traduci:ut recreatus materiam præberet integram ad supplicia. Lecto tamen compositus Vincentius,cum orasset Paululum,obdormiuit:ac mox animã efflauit. Cuius quidem mors plurimum Dacianum afflixit: & quando,inquit,uiuum nõ potui,defunctum forte superabo. Ducique corpus imperat extra urbem,& patentibus in cãpis corrodendũ

rodendum auibus, deuorandúmque relinqui. Vbi coruus insignem quandam ingluuiei speciem præse ferens, cæteras aues abigebat: lupum morsibus clangoribúsque impetebat. Deoluitur tandem corpus in mare cum saxo ingenti, et ad litus extemplo enatat: susceptúque, à pia fœmina, tumulatur. Quod postea cessante tyrannorum impietate Valentiam deportatum prope muros conditum est.

Osca) Ciuitas est citerioris Hispaniæ. Est autem altera ciuitas Osca in Hispania Bætica. *Alumnum sibi vendicat*) Contendit apud se creatum: & alitum. *Cæsaraugusta*) Ciuitas Hispaniæ Tarraconensis. *Adigebat*) Compellebat. *Valentia*) Ciuitas Hispaniæ citerioris clarissima. *Saginassent*) Expleuissent. *Legauit*) Veluti legato commisit. *Deartuari*) Artuatim cruciari, secari. *Secundaris*) Fortunaueris. *Subscripseris*) Suffragatus fueris. *Pectines & vngues*) Instrumenta erant carnificum ad dilacerandos viros pios, ad instar pectinum & vnguium. *Craticula*) Lectus ferreus in formam cratis contextus.

ALFONSVS.

ALfonsus Toleti nobilissimis Stephano & Lucia parentibus ortus, omníque cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit præceptorem Eugenium Toletanum antistitē, à quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorū multiiuga tunc eruditione pollentem, est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona doctrináque sana imbutus, Toletum remeauit ad Eugenium. Postquam uerò factus est ob uitæ candorem peritiámque non uulgarem ab Eugenio diaconus: mundi cupiens laqueos declinare, in Agalensi monasterio, quod Cosmæ tunc erat & Damiano dicatum, insigne pietatis cucullum induit. Cui neque parentes iam prece iam ui omnia tentantes, obsistere ualuerūt, quin constanter in proposito permaneret. Monachi non multo post inde mortui abbatis locum subrogarunt. Suspiciebant siquidē in eo præter uirtutes reliquas, æquitatem, morum facilitatem,

prudentiam, raram sanctitudinem. Tantus itaque fulgor, tantæ uere pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio námque uita functo, cleri, senatus, totiúsque populi decreto Toletanus archiepiscopus est creatus. In quo quidem præsulatu quantum uerbo Alfonsus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de uirgine matre benemeritus, non facile dixerim. Cum dies Leocadiæ festus ageretur, & clerus frequénsque populus conuenisset. Alfonsus ad sepulchrum uirginis accedens, flexis suppliciter genibus, precabatur: & ecce reserato repente sarcophago, Leocadia sanctissima prodijt: uidentibúsque cunctis & audientibus, Alfonsi merita de uirgine Maria commendauit. Porro diua Leocadia, præsule collaudato redibat & Alfonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recensundi regis, qui forte tunc aderat, gladiolo, uelaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur, resecuit: eámque cum regio simul cultro celebri pompa in sacrarium intulit. Præterea cum nocte media, que festũ annuntiationis, quod ipse quindecimo calendas Ianuarias celebrãdum instituerat: aduenit, ad sacra de more peragenda, phanum adiret: in limine primo fulgore quodam repentino perterritis, ac retrocedentibus ministris, intrepidus ad aram usque processit: & ibi precibus supplex intentus, diuam Mariam in illo ipso throno sedentem, quo solitus erat ipse, suspexit. Quæ post diuina, quę breuitatis causa subticemus, colloquia cœlesti eum ueste donauit. Obijt tãdem diuus Alfonsus fœliciter ac sancte, cum sedisset in episcopatu circiter annos nouem.

Cucullus uel cuculla) Vestis nũc monachorum est, & ideo insignie pietatis, quia præferre uidetur sanctimoniam & pietatem. *Dies Leocadiæ festus*) Diua Leocadia iam dudum pro Christo mortem oppetiuerat, sed tũc sepulchro diuinitus excitata, prodijt ad laudes celebrãdas diui Alfonsi: & cũ se recõdere busto pararet, uelaminis partem reliquit tanti miraculi testem. Mariam etiam uirginem & matrem in colloquium cum Alfonso uenisse, muneráque detulisse, non est dubitandum, quando

quidem multa Toleti visuntur vestigia,& manifesta testimonia vtriusq; miraculi. *Sarcophagus)* Lapis est,quem Plinius refert,corpora defunctorum in eo condita,intra quadragesimũ diem,dentibus exceptis consumere.

BABYLAS.

Babylas Antiochenus Episcopus tantæ fuisse uirtutis in asserenda,prædicanda,propugnandáque religione christiana memoratur:ut Numeriano imperatori templi ualuas irrumpere conanti,manus iniecerit,continuerit,retroq; cedere coegerit.Quare proritatus Numerianus in carcerem trudi,ferróq; constringi præcepit.Productum tandem postea interrogauit,si quos sciret alios pari dementia Christi dogmatis asser tores.Cui Babylas,tres habere se dixit pueros probe instructos Vrbanum,Prælidanum,ac Apollonium,ex quibus facile posset intelligi,ueram nullatenus sapientiam ætate annisue recte metiri.Vinciuntur pueri,trahuntur cum matre Theodulla,& cum summa se prædicarent audacia christianos, ante ora parentis alapis cæsi,cruciantur, non tamen à christiana possunt ueritate moueri.Torquentur denuo,& ad numerum annorum plagæ cuique singulariter infliguntur,ali duodecim, ali nouem,ali septem,sed à matre episcopóque solantur, animantur,& præmij sempiterni admonentur.Postremo Babylas tresq; pueri suspenduntur simul,ac crudelissime feriuntur, & cum fortiter ac constanter cruciamenta perferrent,tormẽtisque in ipsis Christum Deum faterentur,ac prædicarent,obtruncatione capitum uitam finiere.

Antiochia) Syriæ metropolis fuit. *In asserenda)* Tuenda & liberanda.Nonnunquam asserere vindicare est tam in seruitutem quam in libertatem vt apud Liuium frequentissimè vide re est. *Propugnanda)* Defendenda.

CONVERSIO PAVLI APOSTOLI.

Paulus

PAulus apostolus, qui Saulus ante uocabatur, tribu Beiamina, oppidóque Iudææ Giscalis ortus fuit. Quo capto à Romanis, Tharsum in Ciliciam cum parentibus commigrauit. Inde Hierosolymam missus, à Gamaliele uiro doctissimo, legisque Mosayce peritissimo eruditus est. Cum autem Stephani martyrio interfuisset, acceptis à Iudæorum pontifice literis, ad persequendos eos, qui Christo credidissent, Damascũ ire festinauit. Cumque iam urbi appropinquaret, ecce lux eũ subita in speciem fulgoris occupauit: qua deiectus in terram, uocem uelut increpãtis audiuit. Saule Saule quid me persequeris? Paulus subito metu perculsus: quis es, inquit, tu domine qui me compellas? Sum (retulit uox) Iesus Nazarenus, cuius tu nomen insectaris: durum tibi est, aduersus stimulum calcitrare. Tum Paulus religione tactus: quid me, inquit, iubes facere? Responsum ei est: Damascum pergeret: ibi quid opus facto sit, auditurus. Viri qui comites ei aderant, rei miraculo stabant attoniti: sed tandem uix se Saulum attollentem, per manus duxerunt in urbem, Qui toto illo triduo nihil uidit. Erat in eadem ciuitate Christi discipulus Ananias, qui cœlesti oraculo iussus, iuit ad Paulum, & manum super imponens, dixit. Saule Iesus qui tibi est obuersatus in uia, misit me huc, ut uisum recipias, spiritúque sancto asfleris. Ad hanc uocem lux ei restituta est: & surgens baptismum percepit. Doctus deinde ab Anania, quòd electus esset à Christo ad propagandum euangelium: paucis illis diebus, quibus cum discipulis Damasci uersatus est, Christum Nazarenum asserere non cessauit. Mirum quidem est, quàm breui omnium in se oculos conuerterit: mirabantur subitam hominis iudæi mutationem: mirabantur eloquentiam, extemporalémque facultatem. Profectus Damasco, cum prædicatio eius diffunderetur: à Paulo Sergio Cypri proconsule, quem primum ad ueri Dei cultum conuerterat, nomen (ut est autor Hieronymus) sortitus est: Paulúsque cæpit appellari.

Damascus) ciuitas Syriæ. *Nomen fortitus est*) Alij aliter sentiũt, Chrysostomus diuinitus ei nomen fuisse mutatum existimat, quemadmodum Petro, qui pro Simone dictus est. Cephas. Origenes autem binominem fuisse putat, & Saulum atque Paulum appellatum. *Asserere*) Prædicare, vendicare ab iniuria detractorum & impiorum.

IOANNES CHRYSOSTOMVS.

IOannes qui ob linguæ sermonísque præstantiam Chrysostomus, quod latinæ sonat os aureum, est cognominatus, Antiochiæ nobilibus parentibus Secundo Anthusaque natus, disci pulus primum fuit Libani sophistæ. Deinde foro causísque agẽdis se præparans, Andragathium audiuit. Post mortem uerò parentis Romam adijt. Vbi se libenter in pauperũ causis exercens, gratuitum præstitit patrocinium. Reuersus tandem in patriam, quietem agere instituit. Itaq; relictis philosophorum libris, sacris in solitudine literis operam dabat. Sed cum uirtus diu latere non poßit, & lucerna iuxta diuinum eloquiũ haud debeat in occulto locari: productus inde, presbyter à Paulino præsule factus est. Defuncto deniq; Vectario episcopo, summo omnium consensu Constantinopolitanus episcopus est renũtiatus. In quo quidem magistratu ita fuit in restituenda ecclesiastica disciplina seuerus, ut nonnullis infensus esse uideretur. Solitus etiam ad mensam solus accumbere, detrectandi obtrectandique populo ansam præbuit: cum uere male stomachus affectus esset in causa: uel ut alij senserunt, mensæ ciborúmque angustia, minime congruens dignitati. Multa præsul ab æmulis passus est: sed potißimum ab Eudoxia Augusta, & Eutropio Eunucho. Quare sæpe pulsus, sæpe etiam reuocatus fuit. Multa Græce scripsit, quæ nunc facile non narrauerim: sed epistolas & homilias in euangelia latinas iam factas, maxime nunc frequentat ecclesia. Obijt Archadio cæsare imperante.

Andragathium) Rhetorem clarum. *Diuinum eloquiũ*) Sententiam. *Infensus*) Durus & intractabilis. *Ad mẽsam solus accumbere*)

Solitus

Solitus erat cœnare cibúmque sumere solus, & ideo obtrectatores ansam, id est, occasionem arripuere maledicendi, quòd ni miũ tenax & parcus esset. *Cum vere male affectus stomachus esset in causa*) Cum scilicet stomachi dolor, quo frequentissime cru ciabatur, esset potissima causa. *Vel forte mensæ ciborúmque angustia minime congruens dignitati*) Quod adeo tenuis erat mensa, tanta ciborum parcitas, vt minime videretur congruere præsulis dignitati. *Augusta*) Sacra, maiestatéque plena, quoniam imperatoris coniux.

THYRSVS.

Decio Cæsare Romanam *dictionem moderante*, Britius *præses* Apolloniæ *christianos ad deorum culturam conabatur adigere. Cui* Thyrsus *deorum ipsorum ex cultoribus unus, sed ex ea se iam parans dementia uindicare, factus obuiam: quid uos, inquit, malos genios adoratis, uerò relicto deo, cui seruiendum soli, sermo diuinus exclamat?* Quibus Britius *commotus, iubet* Thyrsum *plumbatis (genus est flagelli) tundi. Ille ridens, quo magis, inquit, exterior homo conficitur, eo magis interior decoratur. Missus tum* Thyrsus *in cacabum feruẽtis plumbi, illæsus emersit, & plumbum in circunstantes subsultauit. Ductus in carcerem, cum constrictus fuisset ibi relictus, nocte media reserato diuinitus illuminatóq; carcere, prodijt, & ad episcopum uenit, baptizatúsque carcerem repetiuit.* Syluanus *præses, qui* Britio Nicomediam *properanti successerat, factus de* Thyrsi *gestis certior, constitui iußit ante se: & heus, inquit, sacrifica dijs bene iuuantibus. Cui* Thyrsus *libenter quidem. Ingreßúsque cum* Syluano *templum,* Deum *paucis deprecatus est: & mox corruit* Apollo, *magnúmque cunctis timorẽ incußit.* Syluanus *perterritus, reduci* Thyrsum *in carcerẽ iusßit. Dum* Thyrsus *tenetur in uinculis,* Syluanus *ac* Britius *fœda tristíque morte consumpti sunt. Quorũ in locũ* Blãdus *suffectus, cum* Thyrsum *animaduertit constantẽ, in mare proiecit: emersúmq; cernens, bestijs tradidit: nihil etiã nocentibus feris, in duas secari partes, præcepit. Sed cum à carnificibus* Thyr-

sus nec findi quidem poßet, uocem superne uocantis audiuit: & continuo expirauit.

Apollonia) Vrbs Thraciæ. *Adigere*) Impellere. *Vindicare*) Liberare. *Malos genios*) Cacodæmones. *Cacabum*) Ollam vel ahenum. *Nicomedia*) Ciuitas ponti.

ADELELMVS.

Diuus Adelelmus Lugduni, quod est oppidum Galliæ, illustri christianáque ortus familia, post mortem parentum, post patrimonium pauperibus dilargitum, militare sibi dempsit indumentum: palliastrúmq; uile induit, ac Romam *mendicans properauit. Vbi cum triēnimu pijs orationibus, ieiunijs, carnisque afflictationibus animum intendisset: tandem ad* Robertum *Casædei abbatem, cuius ante* Romanam *profectionem obsequio se deuinxerat, reuertitur.* A *quo uix quidem est cognitus, tanta macie, tanto simul & situ, & squalore apparuit deformatus.* Post *multos denique amplexus, post acceptam redditámque salutem, ac reciprocas congratulationes, monasticā est Adelelmus uitam professus.* In *qua quidem quos langores, quas ægrotationes signo crucis depulsauerit, haud compendij est huius enarrare.* Nam *& proximam ciuitatem adiens, sacris initiandus, cæreum ardentem per noctem hibernis flatibus horrificam sine noxa pertulit.* Deuolutis *post aliquot annis, inuitus, & omni nixu subterfugiens, Casædei* Abbas *creatus, piū quidem ac mirabilem pastorem egit.* Haud *ita tamen multo post eundem præsulatum ut Christo plenius deseruiret, obluctante, & supra quam dici queat, ægre ferente sodalitio, depo suit.* Iam *hominis fama late diffusa, omnes in admiratione uerterat: cum Angliæ regina Lethargum patiens, spéque salutis prorsus destituta, nuntios ad eum destinauit, ut uel micam panis, cui benedixisset ipse, transmitteret ad medelam.* Vix *est primo exoratus.* Sed *tandem quadram misit, qua regina primum, mox quotquot per insulam morbo tenebantur, conualuerunt.*

Accitus post hæc literis Constantiæ Hispaniarum reginæ, quæ Alfonso septimo nupta erat, in Hispaniã uenit. Vbi abs rege simul & regina perhumane acceptus & habitus, mirabilem prima (quod aiunt) fronte se præbuit. Nam per uada Tagi prope Toletum, cum regius esset exercitus forte traducendus, nullis uel qui equis ualentibus uehebantur, fluminis æstui, ripas ex solutis niuibus occupantis, satis fidentibus: Adelelmus debili sedens asello, undarum globos cum omnium stupore tranauit. Cæterum ut breuitatis institutæ non simus immemores, cum copiam faceret rex Adelelmo, deligendi sibi locum ad habitandum, quem maxime uellet. Sacellum diui Ioannis euangelistæ, quod in suburbio Burgensi rex ipse construxerat, petijt: impẽdióque dotatum accepit, & per uitæ reliquum frequẽtauit. Vbi & fœliciter mortuus est, & insigne nunc monumentum, eius reliquias continens, ac nomen referens, conspicitur.

Palliastrum) Vile indumentum ac lacerum. *Intendisse*) Direxisse. *Lethargus*) Vix inexpugnabilis somni cum aliqua mentis alienatione. *Quadram*) Frustum panis. *Vndarum globos*) Reuolutiones & tumores aquarum.

IGNATIVS.

IGnatius Antiochenæ præsul ecclesiæ, Ioannis euangelistæ discipulus, cuius extat epistola ad deiparam uirginem, & uirginis ad eum: Traianum imperatorem, Christi nomen insectantem, non ueritus arguere, seq; christianum fateri, damnatus ad bestias, Romam scelestißimis decem militibus perducendus, traditus est. Cùmque nauigans Smyrnam uenisset, ubi Polícarpus Ioannis etiam auditor, erat episcopus, quatuor scripsit epistolas: ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos. Sed eius, quæ ad Romanos scripta est, pauca ex Hieronymo referamus. De Syria usq; ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terra nocte diéq; ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt. Quibus & cum benefe-

beneficeris,peiores fiunt,iniquitas eorum mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs,quæ mihi sunt paratæ:quas oro mihi ueloces esse ad interitum,& ad supplicia:& allici ad comedendum me,ne sicut aliorum martyrum non audeant corpus contingere,Quod si uenire noluerint,ego uim faciam,ut deuorer.Ignoscite mihi filioli:quid mihi prosit,ego scio. Nunc *incipio Christi esse discipulis:nihil de his,quæ uidentur,desiderans:ut Iesum Christum inueniam.Ignis,crux,bestiæ,confractio oßium,membrorum diuisio,& totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me ueniant:tantum ut Christo fruar.* Hucúsque Hieronymus.*Igitur cum* Romæ *constitutus ante* Traianum Ignatius*, horrendos sustinuisset cruciatus: tandem ad bestias damnatus est.Qui rugientes audiens leones,frumentum,inquit,Christi sum, dentibus bestiarum molar:ut panis mundus inueniar.* In *hunc modum loquutus,à duobus strangulatus leonibus,obijt.* Eius *reliquiæ* Antiochiam *deportatæ,extra portam* Daphnicã *in cœmiterio conditæ sunt.*

Damnatus ad bestias) Vt bestijs obijceretur, ac exponeretur dilacerandus,& deuorandus,quod genus supplicij crudelitas excogitauit. *Smyrna*) Ciuitas in ora Ioniæ.*Ephesus*) Ionicarum ciuitatum clarißima. *Magnesia*) Oppidum Ioniæ.*Trallis*) Vrbs Lydiæ.*Iniquitas eorum mea doctrina est*) Iniquitas eorum docet me,æquo animo ferre molestias,& cruciamenta,quando quidẽ aduersus improbos patientia certandum est, beneficijs aut precibus non modo non placantur, sed irritantur & ferociunt magis.

BLASIVS.

Licet diuus Blasius *egregiam ob pietatem miramque sanctitudinem fuerit à Sebastianis in Cappadocia creatus episcopus:ipse tamen cupiens à persecutione,quam* Diocletianus *in christianos exercebat,tutius agere:montis Argei speluncam adijt:& soli deo eremitam uacare constituit. Aues illi ui*

ctum

ctum affatim suppeditabant: feræ speluncam quasi concordes quotidie adibant, dictoque parebant, atque redire sine benedictione recusabant. Quod animaduertentes Agricolani præsidis uenatores, domino renunciarunt, Blasium episcopum in spelunca latere: ferásque omnes magicis ad se artibus pertrahere: rixas componere ac languoribus medicari. Iubet Agricolanus uirum sanctum comprehendi, & in custodia teneri. Vbi christum habuit præceptorem, & ad martyrij lauream hortatorem. Dum etiam tenetur in uinculis, puerum osse piscis strangulatum, uitæ reddidit. Quod utique fuit præsagium, adfuturum eum uocatum, remediumque protinus allaturum gutturis morbo laborantibus præsentaneum. Productus inde, cum Ioui sacrificare renuisset, grauiter cæsus est: & in custodiam reductus. Ibi paupercula quædam mulier questa est, porcellum sibi a lupo surreptum: & pijs precationibus indulsit Blasius: moxque porcellum retulit lupus. Post aliquot dies iterum eductus custodia, quia dijs ac idolis maledicere non cessabat, ligno suspensus, ungulis ac ferreis pectinibus laniatus est: ergastulo denique mancipatus. Septem mulieres in eius collectione sanguinis deprehensæ, ad martyrium sunt pertractæ. Quarum unius filios duos fide christiana Blasius instruxit, & baptizauit. Cum autem denuo Blasius ante præsidem fidem Christi fateretur, ac prædicaret, deos gentium exploderet ac exibilaret, in lacum cum ingenti saxo demersus est. Verum ille signo crucis præmunitus, super aquas siccis greßibus incedebat, submersis quadraginta quinque militibus, qui ut suffocarent eum, gurgiti se crediderant. Demum cum duobus pueris, quos in carcere fecerat orthodoxos, decollatus est. Sebastianos, apud quos cruciatus & mortẽ pertulit Blasius, in Cappadocia memorãt esse. Nos tamẽ ipsi uidimus in Hispania prope ripã Tagi, nõ longe ab oppido Cifontibus Sebastiæ ciuitatis cadauer, ruinis ipsis spectabile, proximéque diui Blasij antrũ horrore loci prisca que religione uenerãdum. Tum lacũ & locũ martyrij, cœ

nobio uirginum ad æternam memoriam consignatum. In quo Basilij nunc calua conspicitur,& summo in honore habetur.

Quod vtique fuit præsagium,adfuturum eum vocatum) Iam dudum inoleuit apud Hispanos consuetudo religiosa,& apud reliquas christianas nationes etiam opinor,vt qui morbo gutturis laborant,statim confugiant ad statuam diui Blasij,cerea munuscula deferant,oscilla suspendant,certam nimirum sperãtes salutem, & medelam. Quod inde manasse crediderim, quòd in eius vita legitur,reuocasse puerum ad vitam,qui osse piscis fuerat strangulatus,& statim vocem superne demissam,recepturos deinceps præsentaneam gutturis & colli sanitatem, qui precibus pijs Blasium solicitarent,& ad eius aram & effigiem thura,munusculaque deferrent. *Remedium allaturum præsentaneum*) Medicaturum sine mora. Presentaneum enim est remedium,quod illico sanat. *Indulsit*) Operam dedit. *Ergastulo mancipatus*) Carceri redditus. Ergastula sunt carceres,in quibus vincti serui cogebantur operari,sed nunc & frequentissime apud bonos autores pro carcere quocunque damnatorum ponitur. *Exploderet*) Damnaret eum quodam strepitu & gestu. *Exsibilaret*) Derideret cum sono quodam & quasi sibilo. *Orthodoxos*) Veros christianos & bene sentiẽtes. *Nos tamen ipsi vidimus*) Nõ dubium est,quin scriptorum penuria iacturam magnam fecerit Hispania:tum quòd quæ ferunt propria siue flumina siue montes aut etiam vrbes,regionibus sunt alijs attributa, tum quòd procreauit viros fortes ac pios, nullis dotibus cedentes clarissimis romanorum,qui silentio fuerũt penitus sepulti. Plinius diligentissimus autor,qui & Hispaniã gubernauit, & situs in ea oppidorũ ac populorũ obseruauit Bastianos numerat post Valerieses,& nõ multo post Toletanos. Cui etsi nõ omnino cõueniat cum alijs geographis nil mirum. Compertissimum est, dissentire omnes in mediterraneis plerisq; locis,cum distantes aliquando coniungant,& coniunctos facile distrahant. Frequẽtissimum etiam est apud eosdem literas & syllabas addere atq; detrahere. Quare non dubitauerim Bastiam ciuitatem siue Sebastiam,prope quam montem incoluit Blasius,fuisse in Hispania:sed cum fuerit iam dudum deleta furoreque bellico prorsus abolita,neoterici scriptores reperiẽtes apud Sebastem fuisse iugulatum Blasium,Cappadociæ Sebastiam crediderunt, & Hispaniam ciue clarissimo defraudarunt. Nam nosipsi,qui hęc scribi-

ſcribimus ruinas & veſtigia Sebaſtæ ciuitatis dumis & arbuſtis adeo plena ſumus ſepenumero dataq; opera contemplari, vt pene ſint invia & hominibus inacceſſa. Paſtores frequentãt ea loca: & ſi quos nacti ſunt curioſos, cæmenta murorũ ſub dumis latẽtia oſtendũt. Sebaſtia alij, Baſtiam alij ciuitatẽ appellãt. Viſitur etiã proxime mons & antrum Blaſij, lacus etiam, denique cœnobium virginum illuſtre, quo loco memorant, iugulatum. In ſumma congruunt omnia hyſtoriæ, quæ de diuo Blaſio circunfertur. Senum etiam memoria tenet, à patribus audiuiſſe, vbi natus Blaſius, vbi nutritus, quà tractus ad præſidem: qua valle, quo colle eius imperio feræ congregabantur, & imperata faciebant. Sed cupienti noſſe quæ referimus, haud multum laborandum eſt: inter ripam Tagi nondum flumiuibus aucti & oppidum Ciſontes omnia conſpiciuntur, & ſunt oculis expoſita. Neq; obſtat quod nonnulli dictitant, Argeum montem eſſe Coppadociæ, cum qui Sebaſtiam crediderũt eſſe Cappadociæ, nomen etiam montis vſurparint.

AGATHA.

Agatha imperante Decio, *apud Catanam Siciliæ urbem martyrio admota eſt. Siquidem Quintianum Siciliæ proconſulem, ut uirginem, de qua magna conceperat præconia, comprehenderet: quatuor potiſſimum peſtes & quaſi furiæ agitarunt, in ſpemque deuiam detruſerunt. Videlicet ut ignobilis ipſe, nobilem uinciendo fœminã timeretur: ut mulieroſus, forma præſtanti abutendo, uoluptuaretur: ut auarus, opes diuitis inuadendo, ditaretur: ut idolatres, chriſtianam ad deorũ culturam compellendo, pius ac ſanctus haberetur. Quæ omnia ut facilius aſſequeretur, Aphrodiſiæ cuidam ſcorto ſeptem turpiſſimas, & ſe nequiores habenti filias, Agatham tradidit inſtituendam, maliſq; moribus imbuendam. Quæ magna quotidie & læta præmittendo, dureque rurſus & aſpera minitando, cum triginta dies nihil profeciſſet: Quintiano retulit, facilius uerbis ſaxa poſſe moueri, & ferrum in plumbum conuerti, quam generoſum firmumque illud pectus à pietate chriſtiana diuelli. Quintianus ira ſuccenſus, rapi uirginem ad tribu-*

nal iußit: & cum multa quæreret, multísque uerbis implicare synceră mentem, rationemq; conaretur: demum intrepide uidens omnia refelli, suspendi in eculeo præcepit, mamillasq; crudeliter detruncari. Tum Agatha in Quintianũ inuecta, non te puduit, inquit, nequã flagitiosißiméque tyranne id amputare in fœmina, quod tu in matre suxisti? Sunt animæ meæ nihilo uiolatæ mamillæ: deo ab infantia dicatæ: in quas dæmonũ tu minister nullo poteris modo sæuire. Hus *magis Quintianus commotus, in carcerem trudi præcepit: prohibens edicto, ne quis medicus admitteretur ad eã. Mediæ tamẽ noctis silentio senex canicie uenerãdus, integras Agathæ mamillas restituit. Quam die quarto cum sanam cõspiceret Quintianus, modum curationis quærens, cælitus sanatam, audiuit. Haud itaq; iam ferendum ratus, super testas acutas, ignitósq; carbones nudam imperat circumagi. Facto tamen terræmotu, cum ingens hominum tumultus exoriretur dicentium, impie famulam dei cruciari, perterrefactus proconsul, terga dedit, reponiq; uirginem uinculis iussit. Vbi paulo post diuinis intenta supplicijs, expirauit.*

Martirio admota) Dedita atque deuota. *Furiæ agitarunt*) Concitarunt, protruserunt. *Mulierosus*) Mulierum appetens. *Voluptuaretur*) Voluptati daret operam. *Idolatres*) Idolorum cultor. *Eculeus*) Tormenti genus, quo homines cruciabiliter torquebãtur. Et videtur instrumentum esse quo qui cruciabantur, pendebant. Valerius. Rupit, verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum. Oliuerius inquit, diminutiuum esse ab equo & ligneum atq; acutissimi dorsi, laminas extinxit, & alibi, laxato eculeo. *Canicie venerandus*) Petrum apostolum memorãt, huius medicinæ fuisse auctorem. *Intenta supplicijs*) Precibus & orationi.

DOROTHEA.

Dorothea cum apud Cæsaream Cappadociæ tantæ fuisset uirtutis & sanctimoniæ, ut in ore omniũ haberetur: Britius præses urbem ingreßus, statim comprehendi, & ad tribunal duci præcepit. Quæ nomen ac profeßionem interrogata,

Dorotheã

Dorotheā uocari se dixit,christianāq; esse. Adducta es,inquit præses,ut dijs sacrifices. Deum solum adorandum, retulit, soli que seruiendū,sancta me docuit ecclesia. Cum autem intenta sæua cruciamenta,non modo uirgo sancta rideret,sed magis magisque in deos maledicta,conuiciaque iactaret: tradita est duabus eius sororibus,quæ tormētorū metu apostatauerant,ut ad colendos deos pelliceretur. Verū res aliter cessit. Audiētes sorores Dorotheam ipsas arguentem,fidémque Christi mentibus ingerentem:sic adeo quasi intermortuæ reuixerunt,ut per tesæ suam timiditatē,ad Christū mox redierint, & per ignem martyriū subierint. Dorothea uerò in catasta grauissime durissimeque cæditur,multis modis excruciatur:non tamen ulla ui potest à uerò proposito semoueri. Ad ultimum sententiā dixit iudex:ut capite plecteretur. Ducitur ad mortem,tanquam ouis Dorothea: & Theophilus quidam scolasticus irridens,rogabat eam:ut è Paradiso,ad quam pergere prædicabat, rosas mitteret:illa libenter facturam,respondit. Cumque ceruici gladius immineret,iuuenis quidā adfuit, & in sinu uirginis tria mala,tresque simul rosas,cernentibus cunctis,reposuit cum his uerbis:sponsus tibi tuus mittit has rosas. Dorothea iuuenē deprecata est,ut ad Theophilum rosas ferret:quod protinus ille fecit. Admiratus Theophilus tam ingens miraculum,quòd hyemis tempore rosas cerneret cœlo missas,Christum credidit saluatorem,& post Dorotheæ cædem,duris ipse cruciatibus tortus,martyrio tandem uitam consumauit.

Apostatauerant) Contra Christū rebellauerant,& omnino ueram pietatem reliquerant. *Pertesæ suam timiditatem*) Pœnitebat eas,quòd per timorem Christum abnegasseut. *Catasta*) Lignea est machina,qua per pedes rei atque damnati tenentur. *Iuuenis quidam adfuit*) Angelum cœlo missum significat.

APOLLONIA.

Apollonia cœlestem uitam Alexandriæ uiuebat, Cæsare Decio imperante:cū Diuini præsidis mandato,ad liba-

mina dijs offerenda compulsa est. Illa contra animi sui sententiam templo illata, cæpit idolis maledicere eorumque cultoribus, qui ea mentis cæcitate tenerentur, ut lapides ac trūcos pro deo uenerari, ac suspicere, non intelligerent. Ethnici, *quorum erat muneris, uel à proposito eam deducere, uel torquendo tādem interimere : contumeliam dijs præsertim irrogatam haud dißimulandam rati, omnes Apolloniæ dentes excusserūt: ac penitus extirparunt. Postea pyram ingentem succenderūt, in qua nudam eam arsuram, ni Iouem cæteróśque deos concep tis uerbis salutaret, ac supplex adoraret, comminati sunt. At uirgo fœlicißima hæsit paululū ueluti deliberabunda, quid faceret, præstaret: tandem fuga se proripuit, & saltu pyram conscendit, ubi hostia Christo deuota est. Haud tamen flammis est consumpta: quippe corpus, eius nihilo imminutū cum reliquijs Coniutæ uirginis quæ pro Christo fuerat etiam lacerata, christiani sepulturæ mandarunt.*

Diuini præsidis) Diuinus nomen proprium erat præsidis. *Irrogatam)* Illatam. *(Conceptis verbis)* Certis & præscriptis verbis, qualia scilicet ipsi dictassent.

SCHOLASTICA.

Scholastica diui Benedicti soror, ab ineunte iam ætate deo dicata, diem ad ultimum nunquam destitit, in summa morū uitæque sanctitate, ac integritate persistere. Præsidebat monasterio sacrarum uirginum, nō procul à cœnobio fratris Benedicti : *consueueratque frater quotannis sororem inuisere. Cumque die quodam de more ad eā uenisset: & in sacris colloquijs totum diem ambo peregissent: incumbentibus noctis tenebris, fratrem uirgo rogauit, ut ea nocte ibi maneret, diuinis sororem alloquijs refecturus. Abnegat* Benedictus, *extra cellā posse noctu manere.* Erat *in cœlo tanta tunc serenitas, ut nec parua quidem nubecula appareret.* Auditis *tamen Scholastica uerbis fratris mansionem extra cellam constantißime negan-*

tis: ma-

tis:manus,insertatis digitis,super mensam posuit,& caput ma nibus deum precatura defixit. Vixdum finierat,cum ecce fulgura micant,tonitrua concußiones horrendósque sonitus ingeminant:tantáque uis imbrium subsequuta est, ut ruere domus uideretur. Ita uir pius fecit inuitus,quod sponte facere recusauerat. Post triduum Benedictus *orationi solus intra cellam insistens,animam defunctæ sororis Scolasticæ cælos penetrantē uidit,& sodalibus ostendit:quos etiam,ut corpus deferrent,statim misit:& in sepulchro,quod sibi parauerat,tumulauit.*

Insertatis digitis) Insertauit digitos alterius manus digitis alterius,capútque manibus ita cancellatis defixit.Et exprimitur gestus reuocantis sensus omnes,& intellectum ad sese,quo magis attentius pijs precibus intendat. *Fulgura micant*) Proprium hoc fulgurum est,vt per interualla micent. *Concußiones horrendósque sonitus*) Hoc etiam vsu venire videmus:vt tonitribus omnia concutiantur,& horrore pallescant homines.

EVLALIA BARCINONENSIS.

EVlalia Barcinone Hispaniæ ciuitate Diocletiano & Maximiano res romanas agentibus,à præside Daciano tentata,& ad sacrificaudum inuitata est.Illa quamuis adolescentula nondum annum trāsgressa tredecimum,soli se deo cœli & terræ conditori sacrificaturam dixit,cui se iamdudum sponsam addixerat.Nudata tūc est, fustibúsq; durißimis cæsa,oleo deinde feruenti perfusa,insuper & in massam calcis uiuæ demersa.Sed cum constantißime omnia su[illegible]rasset,nuda super lectum ferreum extenditur,plumbóque fuso perfunditur. Non exhorruit uirgo hoc etiam subire tormentum.Precibus tamen intentæ plumbum minus nocuit:cum manus interim carnificū concremarētur.Cæditur iterum crudelißime uirgis,testarúmque minutijs eius plagæ confricantur:nihilominus tamen persistēs immobilis,fœlicitatem suam,quòd talia pro Christo pateretur,commendabat.Euidentißimus etiam & apertis rationibus,dum cruciabatur,demonstrabat,mortem Christi humano

fuisse

fuisse generi sicuti conducibilem,ita & necessariam,gẽtiliũmque deos insinuabat,refellendos ac confutandos. Quod ferre non ualens præses,candelis accensis genas exuri,sinapimque ex aceto naribus infundi præcepit,atque calce oleóque perfusam in caminum flagrantem mitti. Verum quòd hymnos,illæsa diuinos inter flammas personabat,educitur:& per ciuitatem,quo pudefieret,nudata ac decaluata deducitur. Postremo extra ciuitatem deportata,cum nulla reliqua esset spes, eam tormentis aliquando cessuram,decollatur.

Addixerat) Deuouerat. *Testarum minutiis*) Frustulis minutis. *Sinapim ex aceto*) Sinapim aceto resolutum. Est sinapis herba seu semen tantæ acrimoniæ,vt lachrimas ciat comedenti.

VALENTINVS.

Valentinus presbyter Romæ sub Claudio imperatore martyrium pertulit. Siquidem cum apud Claudium ei crimini datum esset,quòd Christum coleret,biduum in uinculis fuit. Post uerò productus in amphiteatrum,ac cur deos sperneret, interrogatus:imperatori cumulatißime satisfecit. Enimuero Christi dogma usque adeo prædicauit,extulit,asseruit:ita uali de deos gentium impugnauit,ut admiratus Claudius,eius sapiẽtiam commendauerit. Calphurnium certe præfectum dixisse constat:seductus est imperator noster. Vitare igitur cupiẽs imperator populi murmurationem,Asterio cuidam principi Valentinum tradidit,ut per blandimenta,si commode fieri posset, eum ad deorum culturam pelliceret. Ducitur Valentinus in domum Asterij:& cum limen intraret,Christum uerum lumen inuocans,enixißime precabatur,ut eam domum illuminaret. Quod audiens Asterius:si tuus iste Deus,inquit,quem lumen uerum appellas,cæcam uirginem,quam adoptaui filiam, illuminaret,sine mora cum omni familia crederem illi. Nullas traxit moras uir sanctus,sed dicto citius genua flexit deprecabundus:& mox puella uisum recepit. Verum & Asterius nõ

distulit, quod promiserat: statim se cum omni familia Christo dicauit, baptizatúsque est. Quo Claudius cōperto, Asterium, ac omnes quotquot baptizati sunt cum eo, iubet Ostiam depor tari, ubi per uarios cruciatus omnes martyrium pertulere: san ctum uero Valentinum fustibus cæsum, quia Christum nihilominus pleno ore fatebatur, uia flaminia decollari.

Martyrium pertulit) Mártyrium Latine sonat testimonium: sed iam nostris receptum est, vt cruciatum mortémq; significet, qua christiani priori seculo afficiebantur pro Christo. *Amphiteatrum*) Locus erat Romæ vbi spectacula fiebāt, & gladiatores pugnabant. *Dogma*) Decretum vel piacitum. *Impugnauit*) Confutauit. *Dicauit*) obtulit & addixit. *Ostia*) Ciuitas est Italiæ ad ostium Tybridis.

PANTHALEON.

PAnthaleon Eustorgij Nicomediæ senatoris filius, traditus est puer erudiendus Euphrosino cuidam archiatro. Cúmque iter esset ei ad scholas, qua Hermolaus quidam presbyter latitabat: euocatus ab Hermolao, ac interrogatus: genus, religionem, quámque disceret artem: professus est. Non distulit Hermolaus identidem Panthaleoni suadere, ut relicta Hyp pocratis ac Galeni doctrina, Christi dogma sequeretur, cuius solo nutu langores omnes sanarentur. Panthaleon cum libentißime Hermolai suadelam admitteret, puerum tandem uidēs serpentis morsu interēptum, Deum precatus est, ut si uera de Christo concepisset, puer ille mox resurgeret: quod est illico fa ctum: & serpens medius ruptus. Panthaleon insigni uiso mira culo, contendit ad Hermolaum, baptizatúsque ab eo, Eustorgium parentem reuisit: quem cum perduxisset ad Christum, et paulo pòst defunctum tumulasset, patrimonium omne in pauperes erogauit. Iam Panthaleon uarios Dei uerbo languores curauerat, et inter alios, cæcū quendā maxime notū, illuminauerat: cū Maximianus imperator rumoribus excitus, illustratū diuinitus cæcū, q̄ in Christi nōie fuisse curatū prædica

bat,

bat, morte affecit. Panthaleonem uerò sacrificia deorum contemnentem in eculeo suspensum unguibus attrectari praecepit. Diuinitus tamen erectus ac cõfirmatus, cum plũbo liquefacto demergeretur, & lapide post ad collum deligato in pelagus truderetur, utrobique caelitus liberatus est. Leones etiam ac leopardi in eum dimissi, faciem manúsque lingebant: quare multi crediderunt, & decollati sunt. Hermolaus etiam magister quaesitus ac iugulatus est. Tandem cum Panthaleon alligaretur ad rotam, quo penitus dissecaretur: & machina subito dissoluta quam plurimos occidisset, iussus est & ipse decollari. Milites quibus hoc fuerat demandatum, non eum ualentes, hebetante se ferro, trucidare, Christum Deum crediderunt: & à Panthaleone ea lege ueniam impetrarunt, ut sicuti fuerant iussi, iugularent eum.

Archiater) Princeps medicorum dicitur. *Hippocratis*) Cous Hippocrates medicus apud Perdiceam Macedoniae regem claruit. Excessit annos natus ciiij. eius libri tanquam diuini celebrantur: in quibus omnem medicinae sciẽtiam complexus est. *Galenus*) Medicus è Pergamo ciuitate Asiae Traiani temporibus claruit, scripsit multa volumina. Dicitur aliquando Romã venisse, Romanumque coelum inconstantię accusasse: hunc Auicena medicorum principem appellat. *Christi dogma*) Doctrinam Christi. *Medius ruptus*) Per medium corpus dissectũ. *Vnguibus*) Scilicet ferreis. *Attrectari*) Fricari. *Erectus*) Cic. pro Rosc. afflictum erexit, perditúmque recreauit. *Leopardi*) Ex Leone & panthera creati sunt.

EMETHERIVS ET CELEDONIVS.

Nostrorum nonnulla incuria, sed ethnicorum summo scelere factum est, ut martyrum praestantissimorum Emetherij & Celedonij ortus nataléque solum, tum etiam tempus martyrij, & genera tormentorum, quae memoria à patribus in filios deriuata, tenet fuisse atrocissima, penitus obliterata, incompertáque sint. Quippe consulem illum, à quo martyrio sunt affecti, constantiã uiraciáque admiratum, constat, ad con

filium retulisse, pertinere ad deorum suorum maiestatem, martyrum tam insignium præconia, stupendáque prodigia silentio obrui: ne contemptis gentilium dijs, Christus ubique prædicaretur, Christus ubique susp iceretur adoraretúrque. Quare paucula nobis uestigia supersunt, quæ pij postea scriptores memoriæ prodiderunt. Legionarios scilicet fuisse milites Emetherium *&* Celedonium, *atque in* Hispania *sub consule romano stipendia fecisse. Coniectura quinetiam percipitur, Legionem* Hispaniæ *ciuitatem à* Legione, *in qua hi martyres meruerāt, nomen traxisse: ut quæ longa ibi statiua habuerit, & principium ac ueluti seminarium urbi dederit: quamuis à* Leonegildo *rege nomē ductū, somniarant quidam. Illud etiam pij scriptores commemorant, mutuis se cohortationibus sanctos hos martyres animasse (nam utrusq; extat oratio) ad deserendam romanam militiam, Christique uictoris signa sequenda. Cæterum postquam se christianos professi sunt, &* Calagurium *urbem deportati, cum multis sint diebus in uinculis tenti, quibus fuerint tormentis excruciati, quibus consulem, ac ipsos tortores reddiderint miraculis attonitos: maxima consulis solertia curatum est, ne in uulgum prodiret. Malitia tamen improborum non ualuit occultare, quod in horum sanctorum martyrio maxime dignissimum præconio celebratur. Nam cum ad supplicium traherentur* Emetherius *&* Celedonius, *capite mox plectendi, signa non utiq; uulgaria dedere, quò illis esset, truncatis capitibus, demigrandum. Alter enim anulum proiecit, alter orarium: quæ manibus* elapsa, *tanta sunt uiolentia siue à uē to, siue à nube correpta, sursumque delata ut uidentibus cūctis, cœlos momento penetrauerint.*

Nostrorum nonnulla incuria, sed Ethnicorum summo scelere) Duo sunt scriptores huius historię: alter pœta clarissimus Prudentius, alter ille, qui soluta oratione sic incepit. Etsi priscarum antiquitas, ambo tamen queruntur quòd tam christianorum negligentia quam Ethnicorum scelere, nihil horum martyrum

habeatur comperti, præter miraculum illud, quod ad supplicium cum ducebantur, ediderunt:& legionarios fuisse milites. Erant enim tunc scriptores rari, vel potius in Hispania nulli. Et consul ille, sub quo militabant, & à quo sunt supplicio affecti, summa diligentia curauit, vt stupenda miracula quæ, passim inter tormenta faciebant, haud euulgarentur. *Constat ad consilium retulisse*) ante quàm Iulius Cæsar inuaderet, & occuparet imperium romanum, consules aut proconsules, aut prætores mittebantur in prouincias plerúmq; cum exercitu: præsertim in Hispaniam, quæ nunquam omnino sine armis fuit. Imperatores tamen post Iulium Cæsarem, quamuis manebat senatus, & consules creabantur, ipsi suo arbitrio cuncta gerebant. Mittebant interdum illi consules in prouincias: à quo tamē imperatore fuerit hic consul missus, aut quo nomine vocaretur, incōpertum est. Erat mos, vt consules, qui cum exercitu mittebantur, haberent à cōsilijs, Legatos, Tribunos, Quæstores, quíque magis prę minebant: cum quibus de omnibus rebus consultarent. Itaque consul hic retulit ad consilium, id est, ad eos quos habebat cōsiliarios, oportere nihil eorum deuulgari, quæ inter cruciatus edebant miraculose Emetherius & Celedonius, ne cōtemptis dijs, Christus ab omnibus suspiceretur & adoraretur. *Legionarios fuisse*) Ex legione romana, quæ sex milibus peditum & sexcentis equitibus cōstabat. *Stipendia fecisse*) Meruisse, hoc est militasse. *Extat oratio*) Durat adhuc apud eos annales, quos memoraui. *Orarium*) Lintheum est, quo tergitur os: Est etiam sacerdotis ornamentum, quod dicitur stola. Hic tamen sudarium esse magis videtur.

TRANSLATIO SANCTAE IVLIANAE.

IVliana Nicomediæ, quæ ciuitas est Bithyniæ, ab Eulosio præfecto, cui erat desponsata, martyrio affecta est, eiúsque corpus à Sophonia patricia fœmina in Campaniam (sic fama tenet) deportatum. Cæterum Burgensis ecclesia haud quidem immerito eam ueluti tutelarem diuum, numénque uernaculū suspicit, ac ueneratur. Constat profectò, reliquias eius priscis ante nostram memoriam seculis, in Burgensem regionem fuisse translatas: licet à quibus, aut quo tempore maiorum incuria obliteratum sit. Est in Burgensi ditione oppidum nomine San

tilana

tilana, non sane incelebre, in quo basilica sacra ueterem quandam referens structuram, conspicitur: quæ quoniam reliquias diuæ Iulianæ continet noménque refert, cunctis est adiacentibus populis religiosa. O*ppidum etiam ipsum à* Iuliana *nomen traxisse manifestum est, si paucas reponas literas, quæ uetustate obsoleuerunt.* Alfonsus *igitur* Carthaginensis Burgensis *episcopus, uir parentum nostrorum memoria certe pius ac prudens, uenerandum ex officio pastorali adiens monumentū: cernensque non satis ex merito tantum* Iulianæ *pignus decenti loco teneri (erat enim in meditullio templi quasi desertū) ex autoritate cleri populique, in caput eiusdem templi, & aram ipsam primariam, magna sacerdotum pōpa, prophanæque turbæ concursu transferendum curauit.* A*tque ut traslationis tanto cunctorum ordinum plausu celebratæ, memoria ad posteros emanaret, clero præsertim* Burgensi, *quod uocant capitulum, & nobilibus plerisque suffragantibus, censuit, ac sub anathematis interminatione sanciuit, ut festū sanctæ* Iulianæ, *quod quatordecimo calendas* Martias *ad eam diem agebatur, pridie nonas* Martij *in fauorem nouæ translationis ageretur.* D*e precemur ergo sanctißimam Iulianam, ut quæ nostram uoluit suo funere prouinciam honestare, quæque non dedignata est, toties hinc inde quo nobis patrocinaretur, transferri: obtineat apud deum omnipotentem, hinc nos depositis commissorū sarcinis, ad superas sedes post uitæ cursum transferri.*

Tutelarem diuum) Tutelares diui sunt, quibus tanquam patronis & aduocatis vtuntur ciuitates, oppida & regiones. *Vernaculum*) Domesticum, & apud nos nostraque regione natum. *Obliteratum*) Obliuioni traditum, & ex hominū memoria sublatū. *Oppidum etiam*) Sancta Iuliana fuit olim: quod nunc expunctis & transmutatis aliquot literis, dicitur Santilana. *In meditullio*) Medietate & quasi vmbilico templi. *Anathematis*) Anathemata sunt dona consecrata templis, & ante diuorum imagines suspensa: vnde alienatum & sepositum à Christo dicitur anathema, id est, sacrum, hoc est execrabile: qua voce solet Paulus

extremum exitium significare,& perinde pontifices suis comminationibus.Diuus Hieronymus autor est, anathema verbũ esse iudæis proprium,quo extremam detestationẽ significant.

THOMAS AQVINAS.

Thomas Aquinas ex clara comitum Aquinatum prosapia patre Landulpho matre Theodora natus,æterna mortalibus præferens,cœlestia terrenis,cum tertium decimum ætatis annum ageret,sodalitio Dominicanorum *addictus est.* Rapitur *inde tamen à germanis fratribus,turrísque custodiæ mãcipatur.Vbi cum biennio nec minis nec blanditijs possent fratres ab instituto dominici fratrem auocare,per lasciuam puellam traducere tentant incautum.Ille suggestricem libidinis exturbat,& lachrimis precibúsque institit:donec nunciante angelo, deum optimum maximum exorauit,solidam sibi futurã pudicitiam.*Demum *uoluente secum prudẽtißima matre,euẽturum necessario,quod prægnanti sibi fuerat diuinitus præmõstratum:cœnobio* Thomas *restitutus est.Vbi non segniter cæpit literis intendere,ac uelut apes sedula flores colligere, qui dulcißima suo tempore mella profunderent.Flagrauit uir pius tanta discẽdi cupiditate,ut relicta patria,neceßitudinibúsque omnibus spretis,in Germaniam contenderit:& apud* Coloniã Agrippinam Alberto magno *operam dederit:per quem adeo profecit,ut Parisijs in clarißimo gymnasio primum sit facile locum sortitus.*Deinde Romam *ab* V*rbasio pontifice accerentus,omnes qui ultro deferebantur honores,aspernatus, totum, quo natura & uoluntate trahebatur,ad docendum & scribendum se contulit.Gymnasium* Romæ *instaurauit, pertractauitque omnis philosophiæ partes multa eruditione.* Extant *eius ingenij monumenta quamplurima grauiter & accurate elaborata:certe non sine diuino consilio edita.* Nam *quandocunque disceptandum ei,scribendum,dictandũue erat:tacito Christum susurro precabatur,ut quæ uera essent,suggereret.* Vnde *ferunt* Reginaldo *sodali dixisse,quæ scripsisset,non tam humano*

mano ingenio quam ope diuina cognouiſſe. Itaque poſt multos legendo ſcribendoque exantlatos labores, dum Romam Gregorij.x.iuſſu petit:apud cœnobium Foſſæ nouæ in morbũ incidens,exceſsit.

Aquinum) Ciuitas in Latio,vnde Aquinas. *Sodalitio dominicanorum addictus eſt*) Dominicanorum profeſsioni ſeſe addixit, & dedidit. *Mancipatur*) Traditur & committitur. *Traducere*)Palam facere,& punire. *Incautum*) Eiuſmodi fraudum & deceptionum neſcium. *Exantlatos labores*) Exhauſtos & viriliter ſuperatos.

PERPETVA ET FELICITAS.

IN *ciuitate Tyburbitanorum in Mauritania Valeriano & Galeno principibus,à proconſule Tarnutio comprehenſi ſunt Satyrus & Saturninus fratres,reuocatus etiam & Felicitas fratres,Perpetua quoque nobilis fœmimina: quæ filium infantem lactabat. Quod audientes Perpetuæ parentes,filiam conati ſunt decipere,& à pia religione ſeuocare. Cæterum illa non ferens,quæ parentes de Chriſto impie blaterabant:abſcedite inquit,totius iniquitatis aſſertores:neſcio uos. Cum autem omnes ad præſidem fuiſſent ducti, & nullis aut blandimentis aut minis flecterêtur, ad beſtias tandem damuati ſunt,et in carcere ad Cæſaris natalem ſeruati. Dum in carcere tenebantur, Felicitas,quæ tunc cognita eſt,uterum geſtare,precibus adiuta ſociorum,filium peperit:& cuidam ex cuſtodibus quærenti, quidnam animi eſſet habitura,cum rugirent leones,reſpondit: nunc crucior ego:tunc Chriſtus patietur pro me. Cæſaris natalis aderat:& productos ſocios Felicitas ſancta ſubſequabatur: properabatque à ſanguine carnis ad ſanguinem ſalutis:& ab obſtetrice feſtinabat ad gladium. Ingens fit homnum concurſus in arenam:& uiri ſancti,manibus poſt terga reuinctis,in media planitie deſtituuntur:cum beſtiæ repente demiſſæ, eos inuadunt. Satyrus & Perpetua à leonibus,Saturninus & Felicitas à Leopardis deuorati ſunt.*

Blaterabant) Iactabant,& magnis clamoribus dicebant. Est enim blaterare,stulte & percupide loqui,vnde blaterones dicuntur homines insigniter in verba prouecti & loquaces. *Caesaris natalem*) Solebant imperatores & omnes plerique principes ac reges diem suum natalem festum agere,multisque spectaculis celebrare,quem in diem damnati seruabantur,vt bestijs traderentur. *Vterum gestare*) Mulier dicitur vterum gestare,quae grauida est. *In arenam*) Arena locus erat Romae vbi depugnabant gladiatores,& alia quaedam fiebant spectacula, interdum ponitur pro foro iudiciario. *Leopardi*) Ex Panthera & Leone sunt nati.

GREGORIVS.

GRegorius Romae Gordiano senatore natus,quòd sacerdotio aptus,religioniq; uidebatur,& disciplinis erat liberalibus egregie instructus,diaconus est ordinatus. Sex in Sicilia proprijs impensis cõstruxit coenobia. Domum paternam Romae templum Andreae dicauit. Post aliquot denique annos pontifex sua non sponte renunciatus,euestigio misit ad imperatorem rogatum,ut electionem minime ratam haberet. Ille cõtrà gratias egit clero populoque romano: quòd talem uirum delegissent. Sumpta igitur Gregorius summae pietatis prouincia,statim ad rem diuinam domi forisque augendam, animum adiecit. Ceremonias,quarum est nunc usus in templis,modum chori,psalmodiaeque sanxit. Pestem maximam Romae nouo supplicandi genere sedauit,extinxit. Rogationes,quas graeci litanias uocant,primus instituit. Multa uolumina,quae sacras literas tractanti non esse possunt incõperta,scripsit. Huius est pontificis,ut nouies in missa Kyrie eleison cantetur: & etiam alleluia,intermißis tantum septuagesimae diebus. Eiusdem est illud canonis: Diesque nostros in tua pace disponas,atque ab aeterna damnatione nos eripi,& in electorum tuorum iubeas grege numerari. Huic scriptitanti,cum adhuc monachus esset,angelus naufragum simulans oblatus est: & cum argẽteos sex misericordiae nomine accepisset,iterum ac tertio rediit sub eadem

specie,

ſpecie, & totidem argenteos ſecundo, tertio ſcutellam argenteam, quam ibi mater Gregorij reliquerat, accipiens, lætus abſceſſit, eſſeque angelum Gregorio poſtea reuelauit. Itaq; *poſt multa pietatis opera & in monaſterio, & in pontificatu quatuordecim annos circiter adminiſtrato, ex humanis exceſſit: magnum relinquens ſui deſiderium omnibus, quibus erat eius perſpecta pietas, & ſumma non ignota ſanctitas.*

Summæ pietatis prouincia) Prouincia dicitur magiſtratus, præfectura, & omne onus, quod alicui imponitur, quoniam nō cuiuſcunq; erat, nec fecile prouinciã gubernare. *Septuageſimæ die bus*) Omnibus nimirum illis diebus, qui ſunt inter dominicum diem, qui dicitur ſeptuageſsima, & paſcha. *Naufragum ſimulans*) Simulabat in mari ſe rerum ſuarum feciſſe naufragium. *Ex humanis exceſſit*) Humanitatem exuit, hoc eſt deſiuit eſſe homo, & è vita migrauit.

LEANDER.

LEander Seuerino patre apud Carthaginem Hiſpaniæ ciuitatem natus, cum eſſet monachus, Hiſpalenſis epiſcopus creatus eſt. Vir quidem & ingenio & uita præſtantiſsimus. Eius ſiquidem induſtria factum eſt, ut Gothi repudiata arrianorum ſecta, fidem orthodoxam inconcuſam tenuerint. Nam, *ut Gregorius teſtatur,* Hemeregildum Lenogil dum *Lenogildi regis filium* Leander *ab arrianis ad catholicam ueritatem traxit. Cui pater, ut ad deuiam hæreſim rediret, & præmijs perſuadere, & minis terrere, conatus eſt. Sed cum conſtantiſsime profiteretur Hemeregildus fidem, quã à Leandro acceperat, abdicatus, & in carcerem coniectus, ultimo ſupplicio affectus eſt.* Admonitum *tamen poſtea patrem à Leandro, pefidiæ parricidijque pœnituit: ſed animæ ſalutem non obtinuit: quòd ſuæ ditionis homines plus æquo timebat. Atqui filium recaredum, quem hæredem reliquit, Leandro cō mendauit: & mox naturæ conceſſit.* Leander *poſtquam regem* Recaredum *in fide ſatis inſtruxit, ac ſtabiliuit, & arrianum*

dogma penitus extinxit, diem suum obijt: & in numerum sanctorum relatus est.

Hispalensis episcopus) Hispalis ciuitas Hispaniæ, quæ nunc Sebilla dicitur. *Hemeregildum*) De carcere & supplicio Hemeregildi alibi refereudum est. *Naturæ concessit*) Locum dedit, omnibus enim natura comparatum est, semel mori.

BENEDICTVS.

Fvit uir uitæ uenerabilis (Gregorius inquit,) gratia Benedictus & nomine, ab ipso pueritiæ suæ tempore cor gerẽs senile: ætatem quippe moribus transiens: nulli animum dedit uoluptati. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, iam quasi aridum mundum cum flore despexit. Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ *ortus,* Romæ *liberalibus literarum studijs traditus à parentibus fuerat: Sed cum in eis ire multos per abrupta uitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque postmodum in immane præcipitium totus iret. Hic itaque plus appetens mala mundi perpeti, quã laudes: & pro deo laboribus fatigari, quã uitæ huius fauoribus extolli: relicta domo rebusque patris, nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secessum petijt: cui Sublatus uocabulum est. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam* Romanus *euntem reperit, & quo tenderet, requisiuit. Cuius cum desiderium cognouit, & secretum tenuit & adiutorium impendit: eique sanctæ conuersationis habitum tradidit, & in quantum licuit ministrauit. Vir autem dei, in arctissimo specu se trusit, tribusque annis excepto* Romano *monacho omnibus incognitus mansit. Qui uidelicet* Romanus *non longe in monasterio sub* Theodati *patris regula degebat. Sed pie eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad mãducandum surripere poterat, diebus certis* Benedicto *panem ferebat. Ad eundem uero specum à* Romani *cella nõ erat iter,*

quia excelsa desuper rupes prominebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune religatum deponere Romanus *panem cõsueuerat, in qua ætiam resti paruulum tintinabulum inseruit: ut ad sonitum uir dei cognosceret, quando romanus ei panẽ porrigeret. Cum uerò* Deus *omnipotens romanum uellet à labore quiescere, &* Benedicti *uitam in exemplum omnibus demõstrare, ut posita super cãdelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus, qui in domo* Dei *sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti, qui refectionem sibi paschali festiuitate parauerat, per uisum dominus apparere dignatus est, dicens:* Tu *tibi delicias præparas, & seruus meus* Benedictus *tali in loco fame cruciatur. Qui presbyter protinus surrexit, atque in ipsa solennitate paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit: & uirum* Dei *per abrupta montium, per concaua uallium, per defossa terrarum quæsiuit: eumque latentem in specu reperit.* Hucusque Gregorij *uerba retulimus. Iam tandem more nostro uela contrahamus.* Ad *postremum Casini* Benedictus *sibi sedem statuit: sparsos & soliuagos ad id tempus monachos in unum contraxit cœnobium: mores & uitam instituit: creuitque res adeo in immensum, ut ex hoc uno ueluti fonte clarissimæ procedente tempore monachorũ familiæ emanarint: Cistercienses, in quibus Bernardus claruit, Camaldulenses, Cluniacenses, Celestini, Siluestres. Decessit ingentium bonorum autor & origo anno Christi nati quingentessimo decimo octauo, imperatore* Iustino *seniore: & cum Scholastica sorore sepultus est.*

Gregorius inquit) Ex Gregorij dialogis hæc, quæ ad Benedictum spectant omnia, præter admodum pauca, quæ sunt vltimo loco addita, sumpta sunt, quare in explicando non immorabimur. Cui stylus Gregorij fuerit percognitus, omnia sunt facillima: cæteri si forte hæsitarint, recurrant ad fontem.

MARIA AEGYPTIACA.

Maria Aepyptiaca.quæ peccatrix ante fuerat,septem & quadraginta annos in eremo arctißimam uitam duxit. Zozimas siquidem abbas,qui in eadem solitudine tres & quinquaginta peregerat annos,dum eremum percurreret,si forte sanctum quempiam patrem inueniret,nudam eam,& ex incendio solis exustam prospexit. Quem Maria fugere primo cæpit:sed cum instantem,uestigiáque præmentem animaduertit:quid me,inquit abbas Zozima persequeris? Ad annos redemptionis ducentos septuaginta eremum intraui. Ignosce mihi,faciem uertere non possum:mulier quippe sum, & nuda: sed si tuum mihi pallium porrexeris,accedam proprius.Zozimas suum & nomen & professionem audiens,stupefactus,& in terram prostratus,benedictionē ab ea rogabat.At illa pertinere ad sacerdotem id contendebat:cúmque Zozimas obnixius ut benediceret,precaretur.Benedictus,inquit Maria,Deus redemptor animarum nostrarum:& in his uerbis & alijs, quæ manibus ad cœlum protentis fundebat,cubitum à terra leuata est.Dubitauit primo senex,an forte nequam spiritus esset, sed confirmatus tandem ab ea,de conditione quærere cæpit. Illa turpitudinem iuuentæ,ac dedecus excusabat.Instat Zozimas.Tum Maria,nata sum inquit,in Aegypto,& anno ætatis duodecimo Alexandriam ueni.Vbi pudicitiam uulgo prostitui,Cumque Hierosolymam postea nauigarem,pro naulo corporis mei copiam nautis feci,Hierosolymæ autem fores adiens templi,ut cum alijs crucem adorarem,subito sum iterū ac iterum sola ego repulsa,nullo qui propelleret apparente.Redijtum ad me,& matrem uirginem obsecrare,obtestarique occæpi, continentiam mundíque conteptum promittendo,ut ueniam commissorum impetraret.His & alijs multis,quæ breuitatis causa prætermittimus,enarratis,retulit etiam,ut ab Hierosolymis in illam Syriæ solitudinem abierit. Demum rogauit Zozimam,ut anno proximo cum eucharistia reuerteretur.Quam ille rediens Mariæ præbuit : sed anno sequenti

cum

cum locum repeteret Zozimas,defunctam in genua reperit, ac tumulauit.

Benedictionem rogabat) Poscebat. *De conditione quærere*) De fortũa & sorte, nimirum ingenua esset an serua, nobilis an plebeia, diues an pauper. *Excusabat*) In excusationem afferebat, quare de conditione & vita priore referre non oporteret. *Prostituit pudicitiam*) Omnibus sui corporis potestatem fecit. *Pro naulo*) Pro vectura. Est naulum pretium quod datur pro vectura nautis.

AMBROSIVS.

AMbrosio patre senatario uiro Galliæ præfecturam administrante, diuus Ambrosius natus est. Cui adhuc infanti, cum apud patris prætorium ore dormiret aperto, subito examen apum ora faciémque oppleuit, ita ut ingrediendi in os, ac egrediẽdi seruarent frequentaréntque uices. Pater, qui proxime tum forte deambulabat, prohibens ne ab ancilla, cui nutriendi paruuli cura incumbebat, abigerentur: expectabat patrio affectu, quo miraculum illud fine clauderetur. Apes post aliquantisper reuolãtes, sic adeo cœlos recta sublimes abierũt, ut humanis oculis minime uiderẽtur. Quo uisu perterritus pater, ostentum hoc, inquit, magnum quiddam portendit. Iam diuina mens melliflui sermonis fauos in Ambrosio suggente cõficiebat: iam significabat, doctrinã eius iter nobis ad cœlos futuram. Adultus Ambrosius, liberalibúsque disciplinis egregie imbutus, apud Valentinianũ principẽ maximo in honore fuit, Missúsque ab eo in Liguriam & Aemiliam proconsul, cũ mediolanenses ex morte præsulis Auxẽtij, qui studuit arrianis, diuersa partiũ in studia audiuit concitatos, eo accessit, pro magistratu quẽ gerebat, tumultum in electione pontificis sedaturus. Cũque multa ibi secundum leges & publicam disciplinam pro quiete & pace perorasset, populi subitus clamor exoritur, Ambrosium præsulem dicentis, ac sic uniuersorum stare sententiam, proclamantis. Itaque ut baptizaretur, dant operam:

erat enim cathecumenus. Sed onus eo detrectante, diúque renuẽte, res ad Theodosium seniorem defertur: ille uotũ populi collaudat, & Ambrosium inuitum, munus subire, cogit. Baptizatus itaque omnia fertur ecclesiastica ministeria pie sternuéque obijsse. Octauo die summa omnium gratulatione episcopus est consecratus. Huius studio præter cætera doctrinæ miraculorúmque insignia, arrianorum hæresis deleta, totáque Italia penitus extirpata est. Fuit apud omnes uenerabilis, tantáque authoritate, ut Theodosium imperatorem è Thessalonica, ubi millia hominum aliquot trucidauerat, reuertentem, & templum Mediolanense ingredientem eiecerit minime resistentem: publicóq; sese piaculo expiare coegerit. Obijt tandem editis quã plurimis uoluminibus, quibus ecclesia christiana potissimũ illustratur, pridie nonas Aprilis nati reparatoris anno trecentesimo octogesimo.

Liguria & Aemilia) Regiones sunt Italiæ Alpibus finitimæ. *Mediolanensis*) Mediolanum ciuitas est Italiæ clarissima in radicibus Alpium. *Cathecumenus*) Instructus siue audiens interpretatur. Erant enim cathecumeni baptismatis candidati, quibus fidei Christianæ mysteria tradebantur. Apud monachos dicuntur nouitij, qui nondum professi sunt monachatum: sed instruũtur quasi cathecumeni. *Theodosium seniorem*) Fuit id temporis alter Theodosius imperator iunior. *Piaculo*) Sacrificio.

ISIDORVS.

ISidorus Hispalensis ecclesiæ præsul, Leandri successor ac germanus, adeo doctrinarum omnium fruge præcelluisse, coætaneis uisus est, ut renascentem in eo ueterum eruditionẽ demirati, ueneratique sint. Nec illos sane fefellit opinio. Cuiuis recte peusitanti, quã diuersa unus studia cõplexus fuerit, quãtis laboribus cõtenderit, sibi nõ solũ natũ uideri: perfacilis erit cognitio, uirũ doctissimũ cõsumatissimũ, sanctissimúmque fuisse. Scripsit tot tantáque uolumina, ut humana uix uita tantis suffectura laboribus uideatur. Sed qui deo student, nihil non pro-

*cliue ſentiunt:nihil fruſtra conantur,nihil non ex uoto conſequuntur.Suſcitauit hunc deus diuinum antiſtitem, ne Hiſpaniæ res penitus obliteſcerent:ſed eſſet tandem,qui ſecordiæ nos ac imperitiæ argueret.*Faciunt quidem plurimum ad illuſtrā *das prouincias ingenia præclara.*Nihil *hic doctrinarum omnium intentatum,nihil inacceſſum reliquit,nihil non peruium fecit.* Per *omnium omnia facultatum non ſine propitia ſane* Minerua *deuolutus eſt,quamuis eius quidam eleuent eruditionem ac ſapientiam: ſolámque contendant ſuſpiciendam in eo chriſtianam mentem ac pietatem ſynceram.Iam qua mira calliditate,quibus eloquentiæ fulminibus* Acephalitarum *confō derit hæreſim ac extirpauerit,longum eſſet enarrare.* Obijt Recaredo *in* Hiſpania *regnante.*

Sibi non ſolum natum videri) Sed omnibus prodeſſe. *Procliue*) Pronum & perfacillimum,hoc eſt facile factu. *Ex voto*) Iuxta deſiderium. *Obliteſcerent*) Obſcurarentur,& in obliuionem traherentur. *Peruium*) Planum & penetrabile. *Propitia Minerua*) Ingenio nō repugnante. *Deuolutus eſt*) Cucurrit & euagat⁹ eſt, quoniam omne genus ſcriptorum pene attigit. *Eleuent*) Deprimant & imminuant:à trutina tracta metaphora,in qua res quæ eleuantur,minoris pōderis ſunt,& etiam valoris,ſi cætera ſunt paria. *Suſpiciendam*) Colendam & venerandam. *Acephalitarum*) Acephalitæ dicti ſunt hæretici quidam quaſi ſine capite, quoniam non reperiatur autor,quo fuerint orti.Ii duarum in Chriſto ſubſtantiarum proprietatem negant:& vnam in eius perſona naturam prædicant.

VINCENTIVS PRAEDICATORIVS.

V*Incentius* Valentiæ *claris eſt ortus parentibus non ſine prognoſticis futuræ quidē ſanctitatis doctrinæque.* Puer *etiam,cum erudiretur,ſpecimen dedit raræ cuiuſdam pietatis.* Annum *ingreſſus decimum octauum ſodalitio prædicatorum ſponte ſe dedit:timens ne in ea ætate,quæ uix modum aut rationem nouit,ab aſtu uitiorum raperetur.*Vbi *tanto ſtudio in ſacras literas incubuit, ut in theologicis diſceptationibus, ſacriſque*

crisque concionibus facile princeps euaserit. Nulla ciuitas est in Hispania, quæ non eius fructum sermonis maximum perceperit. Conuentus & oppida Galliæ Italiæque docendo percurrit. Transfretasset etiam ad mauros & arabes, si per regem Hispaniæ licuisset. Vide quanta eius uis orationis fuerit, quãta uulgo sanctitatis opinio, quãta miraculorum exhibitio: quod in sola compertissimum est Hispania, uiginti quinque millia iudæorum et plus eo ad Christum conuertisse: christianos quam plurimos aberrantes in uiam reduxisse: mauros passim baptizauisse. Tandem obijt in ciuitate Venetensi, quæ est Britaniæ minoris, Sigismundo imperante.

Pronosticis) Signis prodigiosis: qualia somniasse matrem huius Vincentij & matrem Thomę Aquinatis memorãt. *Valentia*) quæ ciuitas est Hispaniæ. *Specimen*) Comprobationem & exemplar. *Aestu*) flagranti amore. *Incubuit*) Operam dedit.

CASILLA.

QVo tempore citerioris ulteriorísque magnam Hispaniæ partem saraceni possidebant, regnabat Toleti Canõ, uir summe potens: & ad res gerẽdas sane promptissimus strenuissimúsque. Magnas ille quidem clades christianis intulit: prædas omne genus & captiuos passim abegit. Huic erat filia nomine Casilla, quæ uelut inter spinas rosa uirtutum omniũ odorem ab incunabulis spirauit. Porro nimio charitatis & misericordiæ flagrabat affectu in pauperes & afflictos: in christianos maxime, quibus tota penitus inhiabat. Consueuerat pia uirguncula panes & obsonia, quæ sibi suísque quotidie dimetiebantur, in tres partes diuidere. Quarum unam suo uictui & suorum reseruabat, duas reliquas captiuis christianis proprijs manibus elargiebatur: Rex pietatis huius admonitus filiam obseruauit: deprehendit tandem christianos adeuntem. Sciscitatur quidnam in sinu contracto ferat: rosas dixit. Intulit ille

manum:

manum: & rosas inuenit. Credidit pater, filiam falso insimulatam, ac dimisit. Illa nec minus christianos adiuuit, & explicato sinu, cibaria protulit. Nam quæ in manu parentis uidebantur rosæ: panem & carnem pij famelici sunt experti. Tandem hæc uirgo morbo laborare cæpit immedicabili: cumque nullã eius salutis spem medici regi darent, Casilla diuinitus est admonita, nisi in lacubus sancti Vincentij, qui sunt in ditione Burgensi, ubi res tunc christiana uigebat, nullatenus sanitati posse restitui. Regem orat, ut eò filiam mittat ægrotam. Rex ad consilium refert. Omnibus uisum est, regiæ uirginis saluti quoquo modo consulendum. Abijt igitur Casilla deo monstrante iter: et sanitati protinus reddita, iuxta lacus eosdem in iugo mõtis præ rupti uitæ reliquum miraculis frequentibus egit.

Saraceni) Populi sunt Arabiæ felicis: qui post Machumetis tyrannidem & commenta cum multas inuaderent prouincias: tã dem Hispaniæ maiorem partem occuparunt. *Inhiabat*) Omnino curam intendebat. *Ad consilium refert*) Videlicet vt qui erant ei à consilijs decernerent ea de re, quid opus facto esset.

HEMEREGILDVS.

HEmeregildus filius Lenogildi regis Gothorum in Hispania, suasu monituq́; Leandri Hispalensis episcopi, relicta arrianorum impietate, catholicam tenuit ueritatem, cathoticoque ritu baptizatus est. Quod Lenogildus pater intelligens, precibus ac pollicitationibus est conatus, ad hæresim filium reducere. Sed Hemeregildus intrepidus ac constans, nõ se facturũ asseruit, catholicam, quam à Leãdro didicerat ueritatem. Pater filij detestatus peruicaciam, abdicat, in uinculaque conijcit arctißima. Hemeregildus nihil non pro Christo libenter tulit: nec magni quidem putauit pro æternis temporalia cõ mutare. Paschalis dies aderat: & pater tentabundus, episcopũ quendam arrianum ad filium in carcerem misit, qui eucharistiam porrigeret. Ille respuit, nec ab arriano uoluit accipere: quin

quin episcopum ipsum hæreseos redarguit, æternóque supplicio deuouit. Excanduit rex auditis his: & missis extemplo apparitoribus, iubet, filium morte damnatum crudelissime necari, dissectóque cerebro sæuissime trucidari. Quod regius athleta tam tulit fortiter quã pie: et per martyrium ad cœlos euolauit. Pœnituit tamen postea Lenogildum perpetrati patricidij: Recaredúmque filium ac successorem Leandro moriens commendauit. Quem Leander instituit, & catholicum fecit. Quo quidem sub rege arrianorum hæresis penitus extirpata est.

Peruicaciam) Duritiem & obstinationem. *Hæreseos redarguit*) Impietatis accusauit. *Missis apparitoribus*) Sunt apparitores satellites & ministri regum & magistratuum: quòd præsto apparent, & sunt omnino parati ad iussa capessenda.

TIBVRTIVS ET VALERIANVS.

Tiburtius & Valerianus, à diua Cæcilia sponsa Valeriani, multis interuenientibus miraculis, ad Christum cõuersi sunt. Quippe Valeriano identidem angelus obuersatus, sponsæ dicta confirmauit, quæ angelum habere dictauerat amatorem. Itaque baptizati ab urbano pontifice, probéque instructi, corpora sanctorum, quæ præfectus urbis Almachius passim laniabat, sepulturæ tradere studebant. Tenti tamen demum ab Almachio, multísque uerberibus ac uerbis castigati, quòd uilibus homuncionibus sua traderẽt, quòd damnatorum corpora sepelirent: illorum se, dixerunt, seruos fieri cupere, quos ille dãnatos appellabat. Admonet tum amice Valerium Almachius, remoto Tyburtio, ut sacrificet, ne uitæ careat uoluptatibus: ille Christo se uero Deo sacrificare, nõ autem Ioui homicidijs adulterísque sordidato, satis audaciter est professus. Quare fustibus cæsus est, capite simul cum fratre, ni Iouis ad aram mox sacrificarent, damnatus. Ad aram Iouis tracti, cum nec thura dare, nec genua flectere uellent, securi sunt ambo percussi. Eorũ animas cum Maximus deieraret, se correptas ab angelis in cœlum

*lum uidere referri:multi ex carnificibus crediderunt.*Erat Ma*ximus,cuius fuerant custodiæ* Tyburtius *&* Valerianus *commissi.Qui doctus ab eis ac in fide præstuctus,cum in eorum ultimo supplicio carnifices in libertatem christianam asseruisset,cum nouis athletis plumbatis ad mortem cæsus est.*

Identidem obuersatus) Frequenter apparens. *In libertatem asseruisset*) Vindicauisset. *Plumbatæ*) Pilæ sunt plumbeæ:ex quibus fiebat sæuissimum flagellum.

ENGRATIA.

BEllum fuit nunquam in christianos inimicius,atrociúsque gestum,quam Diocletiano *&* Maximiano *imperantibus. Cuius fuisse causam memorant,Cæsareæ domus incendũ,quòd* Nicomediæ *forte excitatum,in christianos flagitiose impieque reiectum est.Tunc enim horrendum prodijt edictum abs Cæsaribus:ut gentium ubique trucidarentur christiani : sacri libri comburerentur:ecclesiæ diruerentur,Ad quod exequendum, cum per diuersa terrarum prætores mitterentur*, Dacianus *quidam truculentus tyrannus in* Galliam *ac* Hispaniam *missus est.Qui postea quam christianorum sanguine* Galliam *maculauit,aggressus* Hispaniam,*uix sine lachrymis potest referri,quam Cæsaraugustæ carnificinam exercuerit.* Nam quòd *ibi christiana religio plusquam alibi frequens erat,commento usus tyrannico,immensam una die plebem concidit,ac deleuit. Quod utique non immerito reliquos christianos,qui per alias* Hispaniæ *ciuitates dispersi erãt,perterrefecit,At uerò* Engratia *sancta regis* Portugaliæ *filia, quæ* Ruscinonis Marchioni *desponsata,ad conficiendas nuptias, itineri tum forte succincta erat.ingenti lætitia suffusa est:quod cupiens mori pro Chrsto, esse sibi ad sponsum iter Cæsaraugusta,compererat. Missa igitur à patre cum duodeuiginti uiris nobilibus ad sponsum,cum Cæsaraugustam intraret,ilico* Dacianum *ultro petiuit* Quē se *uerissime obiurgauit, probrísque incessit,quòd aduersus innocentissimos*

centißimos Christi cultores,immanitate plusquam tyrannica uteretur. Ille nihil cũctatus,comprehensam iubet crudelißime flagellari:post equorum caudis alligatam, per urbem trahi. Duodeuiginti *uiri fortes* Engratiæ *comites,regiæ uirginis con stantiam admirati,quæ tam crudeliter habita,* Dacianum *uiriliter insultaret:in medium progreßi,prætori maledicere,ignauiam opprobrare : quia relictis uiris idem cum uirgine sentientibus,in debilem sexum desæuiret, quærere non cessabant.* Dacianus *uerbis exasperatus,omnes iubet confestim decollari,extráq; urbem comburi.* Engratiam *uerò,cum multominus uerbis quam terroribus molliretur,cruci iußit affixam harpagonibus ferreis ac pectinibus excarnificari, penitúsque discerpi: quæ tandem frustillatim dissecta animam* Deo *reddidit.*

Commẽto vsus tyrannico) Nouerat enim Dacianus,multos esse christianos in ea vrbe:qui non facile possent dignosci,quoniã metu tormẽtorũ plerique latitabant. Itaque publice denũtiat, liberum fore certo die christianis omnibus discessum ex vrbe: manentibus autem mortem esse protinus subeũdam. Cúmque prodirent omnes securi cum suis sarcinulis,à satellitibus incauti sunt obtruncati. *Ruscino*) Colonia est in meta orientali saltus Pyrenei. *Succincta*) Apta & prompta. *Inceßit*) Ad iram concitauit,prouocauit,lacessiuit. *Insultaret*) Derideret & contumelijs afficeret. *Opprobrare*) Opprobrio dare,obijcere.

TVRIBIVS

T*Vribius natione* Hispanus, *Gallecciæ prouinciæ indigena,* Astoricensis *episcopus fuit. Cultor quidem dei,contẽptor sui,pietatis amator, christianæ ueritatis assertor,idolatriæ subuersor,hæreticorum accerrimus impugnator.* Priscillianorum *præsertim hæresim,quæ tum temporis in* Hispania *uelut contagium serpendo,pleróſq; populos infecerat:& quorundam(quod magis dolendum uidebatur)corda sacerdotum, qui ecclesijs præerant,inuaserat,pro uirili extirpauit.* Floruit

bic

hic pontifex pius, quo tempore Leo Romanæ præsidebat ecclesiæ. Nam ad diuersarum episcopos prouinciarũ Leo epistolas mittens, huic pio Turibio eiusmodi epistolam destinauit. Leo episcopus Turibio Astoricensi episcopo. *Quàm laudabiliter pro catholicæ fidei ueritate mouearis, & quàm solicite dominico gregi deuotionem pastoralis officij impendas: tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant. Nam ut epistolæ sermo, & libelli tui textus eloquitur: priscillianistarum apud uos fœtidißimam recaluisse hæresim sensi. Nihil enim est sordium in quorumcúmque sensibus impiorum, quod non in hoc dogma confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fœtulentiam miscuerunt: ut soli totum biberent, quidquid alij ex parte gustassent. Denique uniuersæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, retractetur: nullus pene inuenietur error, de quo non traxerit impietas ista contagium, &c. Itaque diuus Turibius uoluntati diuinæ semper obsequens, mundi oblectamenta contemnens, cum pietatis opera multa peregisset, obdormiuit in domino.*

Priscilliani siue priscillianistæ) A priscilliano quodam in Hispania dicti sunt, qui trinitatis personas confundebãt, dicentes eũdem esse patrem, quem filium & spiritum sanctum: carnium escas pro immundis habebant, prophetas tanquam arreptitios non intellexisse, quæ loquebãtur: & alia multa effutiebant deliramenta. *Deuotionem)* Improprie dixit, melius curam, functionem vel administrationem. *Recaluisse)* Refeuuisse, & nouas vires sumpsisse. *Fœtulentiam)* Fœtorem.

GEORGIVS.

CVm apud Diospolim perfide aduersus christianos Dacianus ille tyrannus desæuiret, Georgius genere cappadox, qui sub Diocletiano tribunus militium meruerat, uenit ad eum, ut emereet præfecturam. Sed cum sæuos ibi cerneret cruciatus ac ignominias christianis machinari, pecuniis pauperibus

erogatis in Dacianum deósque gentium inuectus est. Dacianus ira succensus, fustibus eum cædi, constrictúmque catenis iussit in carcerem trudi. Postridie cũ nihilominus deos exploderet ac conuiciaretur, exquisitis modis excruciatus est. Ignita quippe cassis ferrea capiti imponitur, latera ferreis ungulis radun tur. Cumque interna penitus apparerent, ardentésque denuo lampades admouerentur, leuatis in cœlum oculis, expirauit. Hic est ille Georgius, quem ferunt, diuino adiutum fauore, draconem immanem apud Aphricam interemisse.

Meruerat) Stipendia fecerat, militauerat stipendij gratia: *Inuectus est*) Maledictis inuasit. *Machinari*) cogitari: præparari infligi. *Exploderet*) Pulsatione manuum reijceret, & dãnaret. *Conuiciaretur*) Contumelia afficeret. *Exquisitis modis*) Nouis & inauditis.

MARCVS EVANGELISTA.

Marcus euangelista (Hieronymus inquit) discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit euangeliũ. Quod cũ Petrus audisset, probauit: & ecclesiæ legendum sua autoritate edidit. Assumpto itaque euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Aegyptum: & primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit ecclesiam, tantæ doctrinæ & uitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo desertissimus iudæorum, uidens Alexandriæ primam ecclesiam adhuc iudaizantem: quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat, Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia: sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

Iuxta quod Petrum referentem audierat) Nihil Marcus scripsit, nisi quod à Petro apostolo accepit. De quo Eusebius ita inquit.

Petrus

Petrus vero vt per spiritum sanctum religioso se spoliatum cō perit furto, delectatus est, fidem eorum per hæc deuotionéque considerans, qui ad scribendum, quæ ipse prædicabat, Marcum precibus compulerunt, factúmque confirmauit, & in perpetuū legendam scripturam ecclesijs tradidit.

CLETVS ET MARCELLINVS.

Cletus Romæ Aemiliano patre natus, Lino in pontificatu successit. Quinque & uiginti presbyteros iussu apostoli ordinauit. Primus in literis adiecit, salutem & apostolicam benedictionem. Sunt qui Clementem confestim Petro subijciāt: Lino & Cleto silentio pressis: sed Hieronymi testimonio refelluntur: qui Clementi quartum à beato Petro locum redddi dit. Martyrio tandem post immensa pietatis opera consumptus est, Vespasiano & Tito imperantibus. Marcellinus post Caium pontifex creatus, quo tempore crudelissimo Diocletiani edicto late ferrum, & omnia sæua supplicia per christianorum capita Romæ forísque euagata sunt, tormentorum metu thura deorum focis imposuit. Pertesus tamen illico ignauiam suam, Sinuessæ in concilio centum octoginta antistitum ueniam flens promeruit. Rediensque ad Diocletianum, impietatis arguit, quòd malos genios adorare, perpulisset. Diocletianus uerbis irritatus, extemplo iussit, Marcellinum ad supplicium trahi. Qui cum duceretur, Marcellum presbyterum monuit, ut corpus fineret inhumatum iacere: quia Christum uiuens abnegasset. Ita Marcellinus iacuit inhumatus, donec post sex & triginta dies Marcellus per quietem monitus, uia salaria sepeliuit.

Silentio pressis) suppressis & obliteratis. *Sinuesse*) Ciuitas est Sinuensa campaniæ in Italia. *Via salaria*) Quæ à sale nomen traxit, quoniam per eam sal in Sabinos asportari consueuerat.

PETRVS EX ORDINE PRAEDICATORVM.

Petrus ex ordine prædicatorio patria Veronensis, concionator egregius parentibus hæreticis ortus fuit. Qui licet nihil non in uita laudabile gesserit, peculiarem tamen laudem tulit, quòd aduersus illius tempestatis hæreticos, ita strenue dimicauit, ut fidei catholicæ clypeus & hæreticorum framea merito compellaretur. Verum enimuero post signa non pauca, quæ uiuens mirabiliter ille patrauit, dum à ciuitate Cumana, ubi monasterio sui ordinis præerat, faceret iter, in transpadana, ab æmulis quibusdam hæreticis interfectus est. Corpus à sodalibus sublatum Mediolani est conditum. Ad eius sepulchrum lampades impendentes citra humanum studium sæpe diuinitus accensas, pro comperto affirmant. Occubuit anno salutis ducentesimo quinquagesimo secundo supra millesimum sub Innocentio quarto: à quo est in diuorum catalogum relatus.

Veronensis) Verona ciuitas Italiæ alpibus proxima. *Framea)* Telum est Germanorum, sed aliquando etiam gladius.

INDALENTIVS ET SOCII.

Cum apud urbem Romam sapientissimi uiri Indalentius, Torquatus, Secundus, Ctesiphon, Eustachius, Cæcilius, et Hesychius ab apostolis sacerdocium suscepissent: profecti quo christianam Hispaniæ pietatem traderent, urbi tandem Accitanæ appulerunt. Vbi delusa tum forte gentilitas Ioui, Mercurio, ac Iunoni festum agebat rituale. Conspecti igitur à cœtu illo deuio, & de religioso christianóque cultu cogniti, infesto sunt protinus mucrone petiti, & ad flumen usque fugati. Iam impia manus illa pontem transcendebat, sanctos uiros læsura: cum repente structuræ opus antiquæ, quod nullo dissoluendū æuo uidebatur, corruit: sanguinariúmque populum fluminis alueo demersit. Sancti cantantes, equum & ascensorem proiecit in mare: incolumes euasere. Cæterum quamuis horum sanctissimorum pontificum calendis Maij natalitium ubique pene

gentium celebretur: hodie tamen pridie calendas Maias Burgensis ecclesia speciatim agit Indalentij solemnia: quo scilicet die reliquiarum eius particeps facta est.

Rituale) Secundum ritum & consuetudinem. *Mucrone petiti*) Acti & propulsi. *Sanguinarium*) Sæuum & crudelem humano sanguine gaudentem. *Equum & ascensorem proiecit in mare*) id est equum & equitem, carmen est Moysi & Israelitarum. Exodi xv. Qui submerso Pharaone cum omnibus copijs, exultabant, quòd incolumes ipsi per siccum maris rubri, quò percupiuerant, deuenissent.

PHILIPPVS ET IACOBVS. APOSTOLI.

PHilippus *apostolus quum annos circiter uiginti euangelium in Phrygia prædicasset, tentus ab* Ethnicis, *ad statuam Martis tractus est, ut inuitus sacrificaret. Sed draco inde repente prosiluit, qui pontificis filium adortus, lethaliter percussit. Mox & duo tribuni icti sunt, qui* Philippum *eò uinctum traxerant. Multi ad hæc afflati, pestiferum in langorem inciderunt.* At Ppilippus *simulachris prius dæmonum ex pacto deiectis, & in eorum loco crucis erecto signo, simul & adorato, mortuos ad uitam retraxit: atque pestiferum inde serpentem procul abegit.* Post *multa prætcrea commode gesta, quum* Hierapolim *uenisset, ab* Ebionitis *hæreticis patibulo crucis affixus est.*

IAcobus *frater* Domini, *cognomento* iustus, *post apostolos triginta* Hierosolimis *annos rexit ecclesiam.* Quem *quum* Ananus *iudæorum pontifex cogere non posset, ut* Christi *nomen abnegaret, lapidibus pene obrutum, ex parte superiore templi præcipitauit.* Afflictū *humi, procq; persequutoribus orantem, fustuario necauit.* Porrò *tam fuit in eo spectata sanctitas, ut iudæorum multi persuasum habuerint, ob impiam illius cædem breui postea euenisse, ut urbs ipsa cum templo & sacerdotibus exitio dedita fuerit.*

Phrygia) Regio Asiæ. *Hierapolim*) Ciuitatem sitam inter Lydiam & Phrigiam. *Ebionitæ*) Ab Ebione quodam dicti, Christum tantum hominem dicebant, tenebant euangelium vt legem carnaliter. Obseruabant circuncisionem & cætera legalia. Paulum apostolum apostatam legis appellabāt. *Fustuarium*) Tullius & Liuius non ineleganter supplicium fustium appellant fustuarium.

ATHANASIVS.

Athanasius præsul Alexandrinus *educatus ab Alexandro ciuitatis eiusdem præsule, diaconus olim in concilio* Niceno *fuit. Arrianorum deinde maximas perpessus insidias, ad Constantem Galliarum principem aufugit. Vnde reuersus cum literis: & post eius mortem rursus à Constantino fugatus, usque ad* Iouiniani *imperium latuit: à quo reducti orthodoxi fuere.* Huius *Athanasij symbolum illud est, cœlesti mē te conceptum aduersus impium arrianorum dogma. In huius persequatione uniuersus coniurauit orbis, & commoti sunt principes terræ: gentes & regna exercitúsque conuenerūt ad uersus eum.* Nullus *ad latendum tutus supererat locus.* Edictis *imperialibus præmia delatoribus proponebantur, si quis uiuum maxime, sin minus certe caput* Athanasij *deferret.* Ita *totis imperium uiribus frustra aduersus eum, cui* Deus *aderat, certabat.* Tandem *sub* Valente *post multos agones, multásque patientiæ coronas occubuit.*

Concilio Niceno) Nicæa vrbs Bythyniæ metropolis, in qua primum publice concilium celebratum est, & in eo Arrius explosus. *symbolum*) Quantum ad hoc attinet, dicitur collatio, hoc est quod plures in vnum conferunt. Vnde & symbolo apostolici inditum nomen est: in quod apostoli contulerunt, quod sensit vnusquisque, & ea forma dicitur symbolum Athanasij, quod ex decreto multorum patrum composuit Athanasius.

INVENTIO SANCTAE CRVCIS.

Helena

Helena Constantini Cæsaris mater, fœmina incomparabili pietate, diuinis admonita uisionibus, Hierosolymam petijt: atque locum ibi, in quo sacrosanctum Christi corpus patibulo pependerat affixum, ab incolis perquisiuit. Qui inuentu erat idcirco difficilis, quòd ab antiquis persequutoribus simulachrũ in eo Veneris fuerat defixum: ut si christianus quispiam in illo loco Christum uellet adorare, Venerem uideretur adorare: et ob hoc infrequẽs, penéque obliuioni datus fuerat. Sed cum diuina fœmina properasset ad locum indicio sibi cœlesti demonstratum, cuncta ex eo profana et polluta deturbauit: & in altum purgatis ruderibus, tres confuso ordine cruces inuenit. Obturbabat tamen reperti muneris lætitiam indiscreta crucis uniuscuiusque proprietas. Aderat & ille quidem titulus, qui græcis latinis & hebraicis fuerat literis à Pilato cõscriptus: sed nec satis euidenter ipse prodebat signa patibuli. Hic iã humanæ ambiguitatis incertum diuinum flagitat testimonium. Primaria quædam mulier defuncta est, et una atque altera ex crucibus nihil proficientibus, ut lignum est salutare admotum, illico mulier ad uitam reuocatur.

In altum purgatis ruderibus) Hoc est, egesto profunde rudere, quo cruces erant obrutæ atque sepultæ. *Obturbabat*) Obscurabat & impediebat. *Humanæ ambiguitatis incertum*) id est quod erat incertum per ambiguitatem humanam, ipsa scilicet ambiguitas confugit ad testimonium diuinum.

QVYRIACVS.

Iulianus imperator, qui Constantino successit, cum exercitum duceret in Persas, audita Quyriaci fama, Hierosolymam diuertit, accitúmque sanctum uirum, & de nomine & de religione percontatur. Cui Quyriacus, Iudam se à parentibus uocatum, respondit: sed ab Helena, cui lignum ipse crucis reuelauerat, Quyriacum ex baptismo nominatum: & ab Eusebio Romano pontifice episcopum ordinatum. Anna mater accer-

ſitur, & eadem, quæ filius, Cæſari renuntiauit. Tunc Iulianus filio atque parenti honores diuitiáſque ingentes pollicetur, ſi dijs libamina offerant. Rurſus ſupplicia mortémque minatur, ſi iuſſa contemnant. Sed nihil iuuantibus minis, ac pollicitationibus, dexteram iubet Quyriaco amputare: mox lecto ferreo extenſum aduritum feruentis olei lebeti demergi. Ad poſtremũ cum omnia ſupplicia præeunte ſigno crucis intrepidus ſubiſſet, ferro tranſuerberatus eſt, imperij Iuliani anno ſecundo.

Accitum) Vocatum. *Cui lignum ipſe crucis reuelauerat*) Hic Quyriacus oraculo cognouit, vbi crux latebat & ipſe iuſſus eodem oraculo, prodidit Helenæ. *Lebeti*) Lebes vas æneum eſt. *Tranſuerberatus*) Tranſfictus, transfixus.

IOANNES APOSTOLVS ANTE PORTAM LATINAM.

IOannes apoſtolus ab Epheſo iuſſu Domitiani fratris Titi ſecunda perſecutione, quam ipſe poſt Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus, præſente ſenatu, ante portam latinam in feruentis olei dolium miſſus eſt, agente hoc impio illo principe, qui chriſtianorum infeſtiſſimus perſecutor fuit. Sed apoſtolus tam liber à pœna inde exiuit, quam à corruptionibus carnis erat immunis. Tum in Pathmos inſulam relegatur: ubi Apocalypſim uidit. Ad commendandam igitur ipſius memoriam, & pro fide conſtantiam apoſtolicam, eccleſiam eius nomen referentem: chriſtiani ante portam latinam præclaro miróque opere conſtruxerunt.

Epheſus) Clariſsima ciuitas Ioniæ. *Dolium*) Vas vinarium ſolet eſſe. *Pathmos*) Inſula eſt in ægeo, inter Cycladas connumerata Ioannis apoſtoli exilio nobilitata. *Apocalypſim*) Reuelationem.

REVELATIO MICHEELIS ARCHANGELI.

Anno

Anno Christi nati quadringentesimo octogesimo primo, Zenone romanis imperante, Garganus quidã ciuis Sipõtinus, cuius pergrande armentum Gargano in monte, à quo nomen & ipse traxerat pascebatur: oberrãtem per lucos taurum quæritabat. Quem tandem inuentum ad ostium cuiusdam speluncæ pascentem, cũ ira percitus, cõtento summis uiribus arcu, sagitta appetisset, retro sagitta flexa, sagittatorẽ ipsum percussit. Territis ea re pastoribus, ac in religionem uersis: Garganus ipse Laurentium *probatæ fidei antistitem adijt: rem ut erat gesta, exponit ille facti admiratione ductus triduanum ieiunium indicit, multisq; precibus* Deum *consulendum censet. Ie iunio absoluto,* Michael *archangelus* Laurentio *dormienti astitit. Sua opera deiq; iussu factum dicit, ut taurus ille index esset illius basilicæ, quam sibi ad habitandum cum hominibus delegisset.* His *uulgo compertis locus ille magna sipontinorum ciuium frequentia principi angelorum dicatus est.*

Sipontinus) Sipontum ciuitas Italiæ ad radicem montis Gargani, qui velut dorsum Adriatico prominet. *Ira percitus*) Commotus. *Appetisset*) Petisset, & vulnerare contendisset. *Contento arcu*) Neruus in arcu, & scorpione intenditur, & quanto vi maiori intenditur, tanto velocior it sagita.

TRANSLATIO DIVI NICOLAI.

Tam mira fuit Nicolai, *dum uixit, integritas, tãta post mortem diuinitatis opinio, ut multi principes conati sint, eius corpus surripere, secumque in patriam transportare. Quod utique incolumi* Myra *omnibus frustra fuit. Cæterum postquã est* Myreorum *ciuitas à* Turcis *diruta, propéque solo æquata: constans fama est, à* Barensibus *mercatoribus sanctum corpus sublatum, ac* Barum *translatum.* Veneti *etiã contendunt apud se teneri, mirámque super ea re nauigationem iactitant.*

Mira) Ciuitas Lyciæ. *Barensibus*) Barium oppidum Italiæ in ora Brundusij.

GORDIANVS ET EPIMACHVS.

IVlianus apoſtata inter alios chriſtianos Ianuarium quendam preſbyterum comprehendit, & Gordiano uices imperatorias agenti, cuſtodiendum tradidit. Gordianus Ianuarium de Chriſto audiens, diſſerētem, ex animo credidit, & baptizatus eſt, cum uxore Marina & familiaribus circiter quadraginta quinque. Quod Iulianus accipiens, Ianuarium proſcriptione damnauit. Gordianum Clementiano eius loco uicario ſuffecto, puniendum tradidit. Qui Gordianum uidens Chriſtū intrepide fatentem cædi plumbatis primo iuſsit: mox capite truncato, necari. Corpus à chriſtianis ſublatum, in uia Latina cum corpore Epimachi, qui paulo fuerat antè martyrio admotus, ſepultum eſt.

Proſcriptione) Relegatione, interdicēs ei aqua & igni. *Suffecto*) Subſtituto. *Plumbatis* de hoc genere tormēti dictum eſt in Tyburtio & Valeriano. *Via latina*) Inter apiam & Valerianam poſita eſt, & ad Caſinum oppidum Apiæ coniungitur.

DOMINICVS CALCIATENSIS.

DOminicus Calciatenſis Villoriæ, quod oppidum eſt Cantabriæ, natus, primis annis uirtutis ſanctimoniæque ſigna haud obſcura dedit. Iam uerò adultus, omnia mundi oblectamēta faſtidiens, religionem mundique contemptum inhiabat. Primo Balbaneræ abbatem adijt, ut eius ſe ditioni ſubmitteret, Chriſtique militiam eo duce ſubiret, Sed ob diſparitatem morū non receptus, ad ſancti Aemiliani abbatem contendit. Qui Dominici contubernium, ut nimis ſeuerum & graue etiam auerſatus eſt. Repulſus ab ijs Dominicus, ad Gregorium quendam epiſcopum, cuius erat in Hiſpania tunc fama percelebris, perrexit. Eiuſque tandiu eſt ueſtigia ſequutus, ſanctimoniamque æmulari conatus, quandiu Gregorio ipſi uita ſuperfuit. Gregorio uita functo, anceps Dominicus fuit, quid deo uacaturo præſtaret. Sed tandē hæc potior eſt uiſa ſententia, Locū animaduerterat,

terat,ubi est nunc oppidum,quod eius nomen retinet, & reliquias seruat,syluarum ob dẽsitudinem auctusque fluminis repẽtinos,peregrinantibus esse pauperibus infestißimum, & quòd fallaci flumine mergebantur,& quòd à latronibus,quos saltus illi occultabant,affligebantur,occidebanturque. Opus sane arduum aggressus est,sed diuino fretus auxilio,pontem quem nunc cernimus,inchoauit:& sine intermißione absoluit. Strauit etiam uiam,unde nomen est sortitus. Nam Hispani lapidibus stratas complanatasque uias calzadas uocant. Verum ne quid omnino peregrinantibus,diuumque Iacobum Compostellanum adeuntibus obstaret, omnem adiacentem syluam concidit. Domum construxit,in qua pauperes reficerentur. Aediculam etiam uirgini matri ædificauit:& ut a episcopo consecraretur,miraculo interueniente obtinuit. Nec silentio præter termittam,diuum Dominicum silensem,à silicibus, inter quas degebat,cognominatum,& hunc Calciatẽsem æquales,aut certe coætaneos fuisse. Nam silensem constat obuium factum Calciatensi,cum pons ædificabatur,diuina sacraque colloquia cũ eo contulisse,benedictionem pariter & accepisse, & dedisse. Mansit constructo ponte Calciatensis in eadem solitudine annos sexaginta,pauperibus ministrando. Post cuius mortem fœlicißimam tanta sunt ibi uisa miracula, ut eò multi mortales confluerent. Vnde ciuitatem templo insignem,qui sanctus Dominicus dicitur,ortũ ac incrementum habuisse cõpertum est.

Inhiabat) Nimis cupiebat. *Præstaret*) Melius & conducibilius esset. *Vbi est nunc oppidum*) Sanctus Dominicus Calciatẽsis est nomen oppido. *Infestißimum*) Inimicum & valde incommodum.

ISIDORVS MARTYR.

CVm Christi cultores Decij Cæsaris iussu ubique gentium trucidarentur, Momerius cum exercitu ueniens Alexandriam,ad sacrificia deorum cunctos compellebat. Vbi Isidorus

rus audater nomen suũ professus, deos gentium est detestatus. Cumque Momerius nimis eum deterrere conaretur, supplicia mortemque intentando: nihilominus uir pius deum adorandũ uerum, deosque gentium deridendos, exibilandos, explodendos dicere perseuerauit, donec constantiã eius in contẽnenda morte Momerius admiratus, cũ iterũ ac sæpius, deos ut coleret, admonendo, nihil proficeret, decollandum cuidã militi tradidit.

Nomen suum professus) Fassus est se Isidorũ christianum. *Intentando*) Minando. *Explodendos*) Damnandos, eijciendos tanquam inutiles.

IVO.

IVo presbyter in Britania ortus, & Parisijs bonis artibus eruditus, cum magnum frugalitatis sanctitatisque unice specimen in scholis præbuisset, archidiaconatui Rodonensi primo præfectus: mox, inualescente integritatis eius in iure dicẽdo fama, ab episcopo Trechorensi uicarius suffectus est. In qua quidem præfectura cum aliquandiu ius dixisset, arctiorem cupiẽs inire uiam, parochiæ Iobenechensis, cuius erat ipse rector, ministerio se mancipauit. Vbi uestibus, quas prior uita poposcerat, depositis, rudes ac uiles induit. Admiranda sunt quæ de sancti huius uiri continuis precationibus, assiduisque ieiunijs referuntur. Nam ut omittam cætera, per hebdomadam continentem supplicijs contemplationibusque intentum, sine cibo potuque durasse, contendunt. Iam longum esset commemorare, quoties famelicos frustulis panis, nullo penes se relicto edulio, refecerit: domorum conflagrationes nutu restinxerit: possessos à dæmone liberauerit: claudos debiles alijsque infirmitatibus affectos, sanitati reddiderit. Excruciabatur morbo proximæ haud nescius mortis, & solitam continentiam intermittere nũquam uoluit: donec omnibus christiano ritu peractis, crucem inconniuentibus oculis intuens, & summißim orans, animam cœlo reddidit.

Specimen) Exemplar. *Suffectus*) Subftitutus. *Inire viam*) Ingre di. *Mancipauit*) Dedit. *Edulio*) Edulium omnem cibum comprehendit præter panem. *Nutu*) Signo capitis vel oculi fine voce. *Inconniuentibus*) Omnino apertis fine vlla nictatione.

BERNARDINVS.

BErnardinum minoritam Sena Thuſciæ ciuitas generoſo ſtemmate produxit, educauit, boniſque diſciplinis erudiuit. Vir ille factus omne patrimonium egentibus diſpertiuit: diuique Franciſci ſe ſodalitio ſitienter addixit. Complexus tum enixiſsime ſacrarum ſtudium literarum, tantum in eo profecit, ut omnis cæperit doctrinæ exemplar haberi omnis continentiæ charitatiſque ſcopus, in quem, qui ſancte cuperent uiuere, diregerentur. Poſtquam eſt factus ſacerdos, concionandique munus iniuit, magna chriſtianæ reipublicæ acceſsio facta eſt. Bella, ſeditiones, populareſque tumultus Bernardinus per Italiam omnem compoſuit. Iuuenes ac iuuenculas, quæ uitiorum æſtu præcipites ferebantur, correxit, reduxit, cõmutaréque uitam in melius perſuaſit. Non deerant ubique miracula, quæ uerba confirmarent, quæ docerent, non ab ipſo manare: quæ tanto uerba profectu pronunciabat, ſed à mente diuina, quæ neminem uult, recto à tramite deuiare. Demum cum inter homines agens, largam feciſſet ſementem, multumque pro uirili in uinea domini deſudaſſet: Neapolim ire ac Siciliam contendens, ut prouincias illas demereretur, chriſtoque deuinciret: morbum contraxit, ex quo perijt ætatis anno ſexageſimo, & a puerperio uirginis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo.

Stemmate) Familia & ftirpe. *Sodalitium*) Collegium multorum feu conuiuium: intelligit fodalitium diui Francifci. (*ui fe fitienter addixit*) Cupidiſsime deuouit. *Scopus*) Signum album, in quod fagittæ diriguntur. *Acceſsio*) Augmentum. *Aestu*) Libidine, feu amore tanquam fluctu marino, qui per æftum fignificatur. *Agens*) Viuens.

BAVDE

BAVDELIVS.

APud Nemausum Galliæ ciuitatem Baudelius martyrio affectus est. Nam cum super caput sancti Euurtij ecclesiam consecrantis, lucem cælitus effusam, & Dei manum desuper benedicentis uidisset, ad martyrium illico animatus est. Audiens itaque Gothorum rabiem in Gallia perstrepere, Nemausum accessit: & gentilium frequentem conspicatus turbam, peculiari suo ritu sacrificantium, acerbe nimis coarguit. Quare detentus dirisque supplicijs afflictus, fustibus cæsus ac in eculeo suspensus cum immobilis christianæ pietatis assertor persisteret, bipenni nouissime percussus est. Lac manasse pro sanguine, angelosque psallentes auditos, cum decollaretur, affirmant. Laurum etiam è tumulo exortam, annos durasse quam plurimos, cuius tactu morbi curabantur.

Perstrepere) Ingentem strepitum facere: late omniã christianorum vastando. *Eculeo*) Generi tormenti de quo supra.

MANTIVS.

MAntius patria romanus, Christi discipulus, in Hispaniã uenit, quo uerbum dei per extrema mundi seminaret. Atque post multos peragratos populos, Elboram Lusitaniæ ciuitatem accessit. Vbi christianum populum ab Ethnicis oppressum, maleque affectum inuenit. Inuectus igitur in deos deorumque cultores, his in se uocibus plebem deuiam prouocauit. Improbos falsosque genios uel auditu perferre non possum: testis mendacij esse non debeo: si meam confessionem exquiritis, quid aliud me fassurum putatis, quam patrem ingenitum, filiũ a patre generatum, spiritum sanctum à patre & filio procedẽtem? His acceptis, rapitur Mantius ad supplicium, nudatoque corpore singula membra diuaricantur, plagis ac ictibus consauciantur. Verum cum inter tormẽta uultu semper hilari perduraret, ducitur ad Validum præfectum à iudæis, qui potissimum eum accusabant. Præfectus non passus audire conuitia,

quæ

quæ Mantius in deos iactabat: fustibus cædi, multisque modis lacerari præcepit. Ille gratias agens, quòd carnificum tormenta superasset, uocem sic sonantem audiuit: ueni ad me dilecte: qua refotus, deo animam simul commendauit & reddidit.

Diuaricantur) Distenduntur, & in diuersum tormentis separantur.

VRBANVS.

VRbanus pontifex Romanus, qui Calixto successit, uir Quiritij sanguinis sanctitate ac doctrina singulari fuit. Multos ad ueræ fidei cultum mortales traduxit, & in his Valerianum uirum nobilem Cæciliæ sponsum, atque Tyburtium Valeriani fratrem: qui duo fratres constanter martyrium pertulere. Fuit & Cæcilia eundem exitum sortita, domo prius paterna deo per Vrbanum dicata. Is fuit Vrbanus autor, fundos & prædia à cultoribus christi recipiendi: uectigalia inde exacta, in sacrorum ministros diuidendi. Idē instituit, ut uasa, quæ pertinent ad sacra, fierent aurea, uel argētea: uel si minus facultates ecclesiæ suppeterent, stanea. Demum ab Almachio urbis præfecto tentus, cum ab instituto Christi reuocari non posset, martyrio consumptus est, & uia Tyburtina tumulatus.

Quiritij sanguinis) Romani. Quiretes enim Romani vocabantur à Quirino .i. Romulo primo rege: qui à quir .i. hasta lingua sabinorum, quòd assidue hasta vteretur, Quirinus est appellatus. *Suppeterent*) Sufficerent.

PETRONILLA.

PEtronilla Petri apostoli filia, Romæ decessit & iacet. Cui febricitanti, cur non succurreret Petrus sicut alijs, interrogatus, respondit, id ei præstare. Sed ne existimaretur, illud causari, quòd ægrotatio esset illa Christi apostolo immedicabilis: surge, inquit, & nobis exibe ministerium. Quæ cum sanna dicto parentis obtemperasset, grabatum repetere iussa est. Erat

hæc uirgo facie præstanti, uirginalique pudore honestißima; quare Flaccus prætor eleganti habitudine commotus, inuitam eam matrimonio iungere conabatur. Petronilla nimium abhorrens à connubio, triduum ad deliberandum impetrauit: quo perpeti ieiunio, precationibusque peracto, ad superos è uita migrauit. Conflata est Nicomedi presbytero ex tam repentina Petronillæ morte apud Flaccum inuidia: est & Fellicolæ uirgini Petronillæ sodali, atque æquali. Huic quia omnium Petronillæ consiliorum fuisset particeps. Illi quòd è uita migraturæ sacramentũ eucharistiæ obtulisset. Quare Flaccus in utrũque sæuiens, per uarios cruciatus occidit.

(*cui febricitanti cur non*) Ordo est: Petrus interrogatus, cur non succurreret sicuti alijs filiæ febricitanti, id est, febre laboranti, respondit. *Id ei præstare*) Melius & commodius esse. *Illud causari*) In causam, & excusationem afferre. *Exhibe*) Ministra. *Grabatum*) Lectum. *Habitudine*) Pulchritudine & elegantia, *Conflata est inuidia*) Contracta.

INACHVS.

CVm regnabat in Castella Xanthus, Xanthi comitis gener ac hæres, Christi dogma late per Cantabriam diffundi cæptum est. Quippe rex pius deuictis ac fugatis saracenis, ditionis suæ fines latißime producendo, ad Pyreneos usque saltus orthodoxam fidem supplantauit. Et inter alia pietatis opera Ogniense cœnobium, quod Xanthus socer substruxerat, reformandũ reficiendúmque curauit. Nam & fœminis inde parum pudicis expulsis, monachos uere pios induxit, quibus Garsiam quendam præfecit abbatem. Garsia tamen uita functo, haud mediocris Xanthum cura incessit, quemnam potißimũ monachis præficeret. Erat per id tempus in Aragonia uir nempe pius Inachus nomine: qui ut mundi fugeret illecebras, deóque totus intenderet, inuia inaccessáque montium solus habitabat. Huius celebri fama comperta, quæ longe latéque currebat: nũtium rex destinauit ad eum, cupiens. Ogniense monasterium

tali

tali uiro committere. Cæterum alijs & alijs nihil proficientibus nuntijs ac literis, rex tandem iuit ad eum. Adductus igitur Inachus abs rege inuitus. Ognienſiq; cœnobio abbas constitutus, dictu non facile eſt, quantum in augenda re familiari, reformandiſque monachorum inſtitutis ac moribus profecerit. Iā miraculis tantis inclaruit, ut incerti, quæ nunc potiſsimum referamus, omnia conſulto prætermittimus, ad geſtorum eius uolumina lectorem cupidum relegantes. Illud nunc retuliſſe iuuabit, quòd poſt multos annos, quibus bonum abbatem, ſanctúmque paſtorem egit, cum ægrotaret propediem moriturus, & à uico proximo in monaſterium deferretur: pueri ueſtibus albis corruſcantes uiſi ſunt ei, lampades ardentes manibus præſe ferre: quibus ut ſubueniretur, cū clamaret (putabat enim mole lampadarum prægrauari,) monachi nihil tale cernentes, delirare eum primo ex febre crediderunt: mox uerò cognita re deum mirabilem in ſancto ſuo prædicauerunt. Ita ingreſſus Inachus monaſterium, & ſacramenta percepit, & animam deo reddidit.

Dogma) Doctrina. *Ad pyreneos*) Pyrenei ſaltus diuidunt Hiſpaniam à Gallia. *Supplantauit*) Conſtabiliuit & firmauit. *Subſtruxerat*) A primis fundamētis ſtruxerat. *Inceſsit*) Inuaſit. *Intendere*) Vacare. *Relegantes*) Mittentes. *Mirabilem in ſanctis ſuis prædicauerunt*) Dicebant enim omnes vno ore carmen illud eccleſiæ. Mirabilis deus in ſanctis ſuis.

IOANNES ORTHECA.

IOannes preſbyter in oppidulo Quintanaortugno, quod eſt in territorio Burgenſi natus, ab infantia Chriſto deditus eſt. Inualeſcente iam ætate, literis adeo incubuit, ut in ſacerdotalem merito fuerit dignitatem prouectus. Sed cum id tēporis regis Alfonſi ſexti, qui ſine liberis deceſsit, interitu, bella Hiſpaniam horrida diſſecarent, ne cōpilationes mortéſque pauperum intueretur, ſecedere uir diuinus conſtituit. Itaque facultatibus partim in pauperes, quos bonis bella nudauerant, diſtributis:

ſtributis: partim ſibi retentis, Hieroſolimam nauigauit. Vnde poſt annum reuerſus, Aucenſem ſibi eremum ad habitandum delegit, ut latrones, uiam quæ dicitur ſancti Iacobi, infeſtantes, ac interrumpentes, fugaret. Quam rem mente conceptam, quo ſtabilius firmaret, locum in eadem eremo ſaltuoſum, cui nomen erat Ortheca, *prope uiam, quæ ducit* Compoſtellam, *abs rege petiuit. Quo facile impetrato, operi ſtatim inſiſtens, ſacellum diuo* Nicolao, *cuius eſt ope cum Hieroſolymam peteret, ſæuientibus undis ereptus, ſubſtruxit. Poſt uerò quaſi aſylum, quod peregrinos aſſereret. Sæpiſsime ſunt latrones co nati, fundamenta demoliri, uitæque* Ioannis *inſidiari: quoquo modo ſtudentes, è medio tollere: ſpe tamen fruſtrati, cùm non ſi ne mente dei fieri concepiſſent, uacuam dei miniſtro ſyluam fe cere, ſeque alio traduxere. Iam diuus* Ioannes *opera illa confecerat: iam concurſus hominum undique frequens erat: iam ingentes ad eum diuitiæ eleemoſinarum nomine deportabantur: cum ueritus, ne in alios congerere uſus diuitias uideretur: tres ſumme neceſſarios erigere pontes ſimul aggreſſus eſt.* Vnum Lugrugni *ſuper flumen* Iberum, *à quo eſt* Iberia *dicta.* Alterum Naiaræ. *Tertium propè ſanctum* Dominicum Calciatenſem. *In quibus ædificandis, & per reliquum uitæ quantis inclaruerit miraculis, quantis etiam poſt mortem, quæ ſeneſcenti ſecura contigit ei, non eſt noſtri propoſiti enarrare. Vnum tamē è multis, quæ uiuens exhibuit, paucis referamus.* Pauperes *quam plurimi diuerſorium* Ioannis *de more frequētabant: & ecce dies quidam illuxit, in quo egentium haud par uam turbam diſpenſator ob panis certe penuriam fame marcidam dimittebat. Id* Ioannes *intelligens, ægréque ferens, diſpenſatoris incuſata prouidentia, panarium ut pertentaret ite rum, mandauit. Ille & tentaſſe, & diſcuſsiſſe, ſatis contendebat, ac eiurabat: ſed ut inſtanti domino ſatiſfaceret: denuo totum diſpandit: & dictu mirabile, plenum ad ſummum inuenit.*

Preue-

Prouectus) Sublatus. Et animaduerte bone lector, quanti tunc momenti fuerit ad sacerdotium aspirare: quod nunc idiotæ cuique, ne dicam aliud, perfacillimum est. *Dissecarent*) In varias factiones diuiderent. *Compilationes*) Direptiones, quibus pauperes afficiebantur. *Asylum*) Templum erat a Romulo cõstructum Romę, vnde per vim extrahi nemo poterat. *Asserere*) Ab iniuria vindicare. *Panarium*) Locus in quo panis seruatur.

MARCELLINVS PETRVS ET ERASMVS.

CVm Petrus in uinculis Diocletiano imperatore Romæ teneretur: Artemio carceris custodi pollicitus est, dæmoniacam eius filiam Paulinam liberaturum se, sanitatique redditurum, si Christum Deum ipse coleret, & baptisma perciperet. Cui Artemius, cum tu Petre uinctus maléque affectus, plagas pro deo tuo, ignominiásque patiaris, nec fugere ualeas cruciamenta & carceres: qui potis est tuus iste deus filiæ meæ opitulari? Crede mihi, & dijs nostris libamina offer, si bene tibi consultum uis. Aut si minus, ego tibi catenas duplicabo, & in ima te carceris contrudam: & si te tuus inde deus exemerit, in me nulla est mora, quin continuo credam illi. Non aspernatus est Petrus conditionem: imo ait, ut domini mei Iesu Christi deitas innotescat, pareo libens: & tuo te cubiculo primis tenebris conuenturum, ea quam dedisti lege, paciscor. Tum Artemius caput subcutiens, delirat, inquit, hic homo: et dicessit: uxorique suæ Candidæ, quæ Petrus dixerat, enarrauit. Nox erat: & ecce Petrus candidis indutus uestibus, triumphúmque crucis manu pertendens, Artemio Candidæque uinculis se solutum ostendit. Illi eius se uestigio aduoluentes, continuo conclamarunt: uere deus unus est dominus Iesus Christus. Et filia statim ab immundo spiritu liberata est. Qui in Artemij domo, totáque simul erant uicina, non paruus scilicet mortalium numerus, rē prodigiosam mirati, uociferarunt: præter Christum non est deus. Vincti etiam omnes, quos reserato carcere soluerat, mis

sósque fecerat Artemius, christianos se professi sunt. Quos omnes mille fere numero Marcellinus presbyter accersitus, baptizauit. Serenus prætor omnium factus certior, Marcellinum et Petrum ad tribunal uocatos, cum uarijs uinci cruciatibus minime posse, & quæcunque denuo moliretur tormenta, nihil facere expertus fuit, ultimo suplicio affecit. Dorotheus *qui eos decollauit, animas cernens ab angelis sublimes deferri: confectus senio baptizatus est. Eodem die Erasmus episcopus multis cruciatibus affectus, martyrio est coronatus.*

(*Consultum*) Consulere, vel vt cõsulatur, hoc est vt tibi bene cedat. *Pacifcor*) Polliceor pacto interueniente : *Triumphum crucis*) Christum crucifixum.

MEDARDVS ET GILDARDVS.

Medardus & Gildardus Clodoueo in Gallia regnãte, pietate conspicui claruere. Gemini siquidem fratres nobilissima Francorum stirpe prognati celebrem miraculis uitam peregerunt. Cum Medardus puer scholas frequentaret, sodali constat affirmasse, fore se triginta post annos episcopum: quod rei comprobauit euentus. Fur è uinea Medardi uuas decerpens, quasi lapis stetit immobilis, nusquam gradum ualẽs efferre, donec à Medardo comprehensus & solutus est. Clotharius rex infestũ ducens exercitum in Gallos, cum omnia late igni ferróque uastaret, prædas undecunque abigeret, Solentiacum uillam Medardi deprædabundus inuasit: sed milites solo adhæserunt prorsus immobiles, donec prædas domnis reddiderunt. Factus postea Medardus Nouinensis episcopus, quindecim annos eam sedem tenuit: dæmoniacum in ea liberauit. Tornacẽsis deinde creatus episcopus, quantis inclaruerit uirtutibus, mors satis declarat: in qua cæli fuisse referuntur aperti, diuináque luminaria conspecta. Gildardus episcopus Rothomagẽsis Medardi fratris per omnia similis fuit: nec à sanctimonia mirabilibúsque gestis deuiauit. Ambo sunt eodem die nati, sexto

uidelicet

uidelicet idus Iunij,eodémque simul & præsules facti,Gildardus Rothomagensis,*Medardus* Nouinensis.Eodem *etiam pariter extincti atque sepulti:*Medardus *in ecclesia* Tornacensi, *Gildardus in* Rothomagensi.

Deprædabundus) Omnia depopulans atque conuasans.

PRIMVS ET FELICIANVS.

PRimus *&* Felicianus *ciues* Romani *cum à pontificibus accusarentur,quòd Christum colerent, deósque gentium ludibrio haberent,imperatorum* Diocletiani *&* Maximiani *iussu,in uincula sunt coniecti.Producti postea,cum* Herculem *nollent adorare,uirgis grauiter cæsi sunt,& in carcerem reducti.Iterũ ad tribunal constituti,quòd intrepidi persistebant, alter ab altero segregati sunt.Adortus est præses seorsum* Felicianũ *blandicijs,ut deposita,quam profitebatur, insania,imperialibus edictis pareret:diésque potius ageret lætos ac iocundos,quàm per tormenta periret.Cui* Felicianus,*octogeßimum uitæ annum agere se dixit:& triceßimũ esse,ex quo seruitium impenderet omniũ creatori:atq; in his nec fallentis mũdi blandimẽtis acquieuisse,nec acquieturũ unquã.Non tulit ultra præses libertatẽ loquendi,sed militibus torquendũ tradidit:qui triduo tortus,à ueritate non potuit dimoueri.Affertur tum* Primus,*& immaniter igni ferróque cruciatus,cum in proposito duraret,exasperatus iudex,in utrũque gladio animaduertit.*

Ludibrio haberent) Habere Ludibrio,habere honori, habere prædæ elegantißime dicitur.Saluſtius in iugurtino. Sed incedũt per ora veſtra magnifice ſacerdotia & conſulatus:pars triũphos ſuos oſtentantes,perinde quaſi ea honori non prædæ habeant *Acquieuiſſet*) Conſenſiſſet. *In vtrunque gladio animaduertit*) Animaduertere in aliquem eſt,eum legitime punire.

BARNABAS APOSTOLVS.

BArnabas *Cyprius in actis apostolorum tantopere commendatus,primus omnium proprium uendidit agrum,& ad apo-*

ad apoſtolos pecunias detulit. Primus diuum Paulum Hieroſolymam *duxit,& cum eo apoſtolatum prædicandíque munus euangelij ſuſcepit. Iam* Barnabas & Paulus,*ut cætera prætermittamus,per uarias mundi regiones* Dei *uerbum diſſeminauerant:cum inſperato diſsidium inter eos factum eſt: propterea quód* Ioannem *cognomento* Marcum,*qui cum eorũ eſſet diſcipulus,ſine cõmeatu faceſſerat,recipiendum, redeuntique parcendum,*Barnabas *cenſuerat:& in ſuum acciuerat contubernium.*Verum *hoc diſsidium non eſt ſine mente diuina factum,ut tantorum uirorum doctrina in plures populos emanaret.*In *urbe* Iconio Barnabas & Ioannes *euangelizabant:& ecce multam quandam ad noctem,uir ſplendicans* Ioanni *ante oculos obuerſatus eſt,corroborans ſcilicet in* Chriſto, & Marcum *hoc eſt expolitum nominans.*Eadem *nocte* Chriſtus Ieſus Barnabæ *oblatus,ad martyrium eſt cohortatus, æterna præmia pollicendo. Illuxit,& alter uiſionem alteri referẽtes, ſilentium ſibi mutuo indixerunt.* Poſt *hæc* Cyprum *nauigarunt:ubi uiros ſimul ac fœminas nudos in fano currentes, ac de more gentium dies feſtos celebrantes, conſpicatus* Barnabas,*templo maledixit:quod momento corruens,multos mortales oppreſsit.* Quare *qui ſuperſtites fuere,* Chriſtum *crediderunt* Deum, & *baptizati ſunt.* Profectus *inde* Barnabas,Salaminam *uenit:ubi* Magus, *quem* Paulus *oculorum lumine priuauerat ad tempus,concitans ſeditionem,ut comprehenderetur apoſtolus,effecit.* Iudæi *uinctum multiſque ſupplicijs affectum,cum tradere ciuitatis iudici puniendum feſtinarent:comperto,*Euſebium *de ſtirpe* Neronis *uirum, aduentare:ueriti,ne ſuis è manibus apoſtolum eriperet, fune tractum extra portam ciuitatis combuſſerunt.* Oſſa *iam plumbeó uaſe compoſita,ut demergerentur in mare,* Ioannes Marcus *cum alijs duobus diſcipulis noctu ſurripiens in* Crypta *quadam occuluere.* Vbi *annos quingentos ad tempora* Zenonis Imperatoris,& Gelaſij *pontificis latuerunt.*

Cyprius) Cyprius insula ab occasu Pamphilicum habet mare, à meridie Aegyptiacum, ab ortu Syriacum, à septentrione Cilicum. Habet vrbes Paphos duas, & Salaminam de qua fit hic mentio. *Dissidium*) Segregatio, discordia. *Sine commeatu*) Commeatus proprie venia est discedendi ab officio iniuncto: vt à militia ad certum tempus, & hoc in singulari dumtaxat, nam in plurali aliud signat, victum scilicet communem & quasi penum publicum *Obuersatus est*) Astitit & apparuit. *Crypta*) Subterranea cauerna.

BASILIDES, CIRINVS, NABOR, NAZARIVS, ET CELSVS.

SAnctorum Basilidis, Cirini, Naboris, Nazarij, & Celsi festus dies agitur. Quorum duos apud Ebrodunensem ciuitatem martyrio laureatos, memoriæ prodidit antiquitas. Nazarius & Celsus Mediolani martyrium subiere. Habuit Romæ Nazarius patrem nomine Aphricanum uirum illustrem, sed iudæum, matrem Perpetuam christianam, quã Petrus apostolus baptismati sacro admouit. Hanc Nazarius sequutus, à diuo Lino instructus, & baptizatus est: pater Aphricanus in ultima senecta Christũ agnouit. Sed Nazarius ipse post multa, quæ pro Christo fortiter tulit, Mediolanum uenit, ferens secũ puerum Celsum, quem nutriuerat: tentique simul ab Anolino proconsule, in carcerem coniecti sunt. Postea uerò quam proconsul eorum est in pietate christiana expertus constantiam, diu tortos ac maceratos, tandem gladio percußit. Sepulti sunt furtim à christianis in proprijs hortis quinto Calendas Augusti, sed à beato Ambrosio postea reperti, Romam sunt translati quinto Idus Iunij.

Ebrodunensem) Ebrodunum oppidum Alpium. *Baptismati sacro admouit*) Baptizauit.

ANTONIVS MINORITA.

ANtonius qui puer Fernandus est appellatus. Olyßipone Hispaniæ occidentalis ciuitate natus, cum à pueritia in ecclesia nutriretur,& toto pectore literis incūberet,uir summus euasit: Verum nequid fallax mundi gloria, carnis illecebræ,uoluptatūque titillationes derogarent: Augustini sodalitati (regularem uocant) ascriptus est. Fama postea inualescente, minoritas quosdam apud Marachiū à Saracenis occisos: martyrium inhians,mißionem petijt à præside cœnobij:& Francisci monachatum professus est. Ante tamen quam ab Augustinianis dimitteretur,pactus est cum minoritis ut in Saracenorum regiones ipsum legarent. Missus est igitur quò percupiuerat: sed solo desiderio consequutus martyrium,reuertitur. Nulla iam manet tergiuersatio,quin concionandi munus,cui deus illum destinauerat,reducemque præseruauerat,subeat. In quo quidem quantum profecerit,quanta miracula ediderit,quoniā paucis dicere non ualemus,ab uno cætera discantur,oportet. Quidam Antonio fassus est,patrem calce petisse: cui Antonius,ut terrorem incuteret,dignus,inquit,erat pes ille,ut incideretur. Simplex homuncio domum properās,pedem sibi mox abscidit. Diuus tamen Antonius oratione habita loco protinus pedem restituit. Decessit diuus Antonius Patauii ex morbo,cū per aliquot mundi partes uerbum Dei dissemināsset:& theologiam sacrasque literas edocuisset. Nam per ea,quibus inclaruit,tempora euangelicæ doctrinæ clarißimus bucinator,christianæq; uitæ uiuax ac unicum exemplar fuit.

Nulla iam manet tergiuersatio) Id est dissimulatio,fuga vel excusatio,quoniam adolescens professus fuerat monachatū,quo fugeret mundanam gloriam. *Ab vno cætera discantur*) Hoc est cætera quæ prætermittimus: ab vno hoc miraculo,quod referimus,poterunt dignosci.

VITVS, MODESTVS, ET CRESCENTIA.

Vitus, Modestus & Crescētia sub imperio Diocletiani Siciliam inclyto martyrio decorarunt. Vitus namque puer adduci non potuit à patre Hyla senatorio uiro minis aut uerberibus, ut deos, abnegato Christo, coleret: quare traditus est Modesto & Crescentiæ nutritoribus: si forte à ueri Dei cultu ualerent ipsi ad idolatriam alumnum reuocare. Sed nutricij iam facti christiani, cum Vito simul pro Christo cadere, exoptabāt. Nullum erat morbi genus, quod Vitus nominato Iesu, non sanaret: nullus langor, cui non medicaretur. Quare à Valeriano præfecto Vitus accersitus, & altaribus admotus cum sacrificia contemneret, crudeliter cæsus est. Manus tamen & brachia carnificibus aruerunt, & præfecto manus etiam omnino torpuit. Atqui puer misericors precibus indulgens, sanitatem restituit: bonum ad exemplum Christi malo rependens. Adduxerant nutricij Vitum oraculo moniti, in aliam regionem: sed Diocletiani filius correptus à malo genio, cum clamitaret, nisi à Vito liberari non posse: quæsitus Vitus & reductus est. Qui manum super Diocleciani filium posuit, & cacodæmonem mox fugauit. Maxima tunc cura Diocletianum subijt, quonam pacto Vitum ad cultum deorum pelliceret. Sed cum frustra blandimenta tentasset, in Clibanum ardentem cū Modesto & crescentia misit: post leonibus obiecit: sed cum omnia cœlo fauente frustra fierent, suspensos in eculeo tandiu cædi præcepit, quoad animas efflarēt.

Cadere) Mori. *Rependens*) Recompensans. (*A malo genio*) A dæmonio. *Cacodæmonem*) Malum dæmonem. (*cœlo fauente*) Cœlitibus fauentibus.

CYRICVS ET IVLITA MATER.

Iulita illustris fœmina ab Iconio Isauriæ ciuitate, cupiens Alexandri imperatoris uitare sæuitiam, Tarsum uenit cum Cyrico filio trimo. Sed nihilominus ibi quòd christiana esset, ad præsidem Alexandrum, referentem quidem imperatorem

tam feritate quam nomine, uincta cum filiolo perducta est. Amplexus puerum Cyricũ Alexander, *oscula dabat, demulcensque blandiebatur: cum mater interim, quòd sacrificare contemneret, flagellaretur. Sed puer ab* Alexandri *nimium abhorrens illectu, matrem respiciebat, ac de eius dolore supramodum anxie lachrymabat. Verbera & cruciatus puero Cyrico intenduntur: si forte tantula posset ætas uel terrore moueri: perdurabat tamen intrepidus: & qua poterat uoce Christum assere bat. Cumque crudelißime cæderetur, carnificibus insultans christianus sum resonabat. Blandiri iterum ei præses occæpit: & collo humerisque imponere. Ille blãditias aspernatus, morsu præsidis scapulas appetiuit: dentesque infixit.* Quo dolore *commotus, ac exasperatus* Alexander, *Cyricum ex alto præcipitauit, tribunalique cerebrum illisit. Iulita filium cernens ad cælos præuolasse, gratias agebat Deo.* Non ita *tamen multo post iussa est & ipsa excoriari, piceque bullienti perfundi, demum capite truncari.* Horum *exemplum sequuti quadraginta quatuor Ethnici, qui se christianos professi sunt, exquisitis torti cruciatibus, ab eodem Alexandro post aliquot menses occisi sunt.*

Isauria) Regio Asiæ finitima Ciliciæ. *Tarsum*) Ciuitatem Ciliciæ. *Trimo*) Trium annorum. *Referentem*) Reddentem ac exprimentem. *Illectu*) Blanditijs. *Intenduntur*) Expediuntur ac inferuntur. *Asserebat*) Prædicabat. *Insultans*) Illudens. *Scapulas appetiuit*) Corripuit. *Illisit*) Fregit.

MARCVS ET MARCELLIANVS.

M*Arcus & Marcellianus Tranquillini Martiæque filij, cum Romæ in carcere tenerentur, Chromatius urbis præfectus decollandos pronunciauit, ni dies intra triginta resipiscerent, abnegatoque Christo, sacrificarent dijs.* Quod parẽ*tes eorum & consanguinei percipientes, cum filijs ac uxoribus conuolarunt, obtestatiq; sunt pios fratres, ut Cæsaris imperio consentientes, infuanti se morte subducerent. Illi uerò diui*

Sebastiani persuasione confirmati, martyrium intrepide præoptabant. Diuino etiam Sebastiani eloquio quotquot aderant, & in his Chromatius, præfectus afflati, Christum Deum crediderunt, & baptizati sunt. Zoe Nicostrati uxor, apud quem Marcus & Marcellianus uincti tenebantur, loquē di usum sex ante annos amissum, recuperauit. Quare Diocletianus imperator, exilio Chromatio multato, Fabianum quendam eius in locum suffecit. Qui Marcum & Marcellianum minus sacrificare uolētes, grauissimis in carcere cōstrictos catenis diebus aliquot detinuit. Productos tandem ad stipitem ligari, mucronibusque stimulari præcepit. Sed cum in eo tormē to diem ac noctem transegisse, psalmos modulātes ac hymnos, Fabianus audiuit, frustra ratus, in eos se tormenta denuo machinari, lanceis per latera iussit transuerberari.

Percipientes) Intelligentes, audientes. (*conuolarunt*) Velociter cucurrerunt ad eos, quasi volantes. *Instante*) præsenti.

GERVASIVS ET PROTHASIVS.

Postquam Vitalis Geruasij & Prothasij pater martyrio est affectus, & Valeria mater simul è uita migrauit: filij diuenditis facultatibus, mendicos reficere, seque penitissimum intra cœnaculum abdidere, conspectum hominum fugitantes. Inde tamen postea, decem reuolutis annis, ad martyrium sunt extracti. Astasius siquidem exercitum ducens in Marcomanos, cum Mediolanum ingrederetur, templorum obuios habuit sacerdotes, obsecrantes ac obtestantes, ut Geruasium & Prothasium perderet, aut sacrificare compelleret: qui Deos non modo contemnerent, sed & ad solita illos reddenda facerent responsa inutiles. Astasius uocatis fratribus dixit: expedit, ut more maiorum litetis, quo bello suscepto propitij aspirent dij. Cui Geruasius retulit. A deo uictoria, prosperque belli euentus flagitandus est, non à simulacbris fictilibusque statuis. Iræ impatiens Astasius Geruasium iussit tandiu plumbatis cædi, quoad

animam

animam exhalaret. Accersitum tum Prothasium commonefecit,ut ad exemplum fratris,fieri Biothanatos, subterfugeret. Ille nullum,inquit,mortalium timeo:qui habeã patronũ Christum. Tu miser homo es,qui me uirum imbellem,quando perdere studes,timere conuinceris: & truncos ac lapides colis, qui sibi nequeunt prospicere,nedum tibi patrocinari. Deum adora Christum,si uera uti uictoria uis.Eiusmodi multa cum libere Prothasius effunderet,atque deos surdos identidem ac mutos compellaret,minas nec minus Astasij pili non faceret: capite damnatus ac morte multatus est.

Marcomanos) Populos Germaniæ. *Mediolanum)* Ciuitas Italiæ alpibus finitima:quondam ea regio Cisalpina Gallia dicebatur. *Plumbatis)* De hoc genere flagelli diximus. *Biothanatos)* Violenter mortuus interpretatur,veluti qui ferro aut vi qualibet interficiuntur. *Prospicere)* Prouidere, cauere.

ACHATIVS CVM DECEM MILLIBVS MARTYRVM.

CVm Agareni populi, & Euphratenses ab imperio romano desciuissent, Adrianus & Antonius imperatores, qui per id tempus Alexandriæ morabantur,nouem millia militum in rebelles conscripserũt. Quibus Achatium Heliadéque uiros fortißimos præfecerunt. Iam acies instructæ directæque erant:iam manus conserere exercitus uterque parabat: cum noua manus imperatorum ingentem hostium multitudinem cõspicata,suis diffisa uiribus aduersus tot millia,turpiter terga dedit,seque in tutum recepit. Ibi milites in religionem uersi,ignauiam quisque suam neglectæ religioni ascribebant. Mactatis itaque rite hostijs,in aciem iterum prodierunt,& turpiori nihilominus fuga in castra compulsi sunt. Angelus tum uisus est, uirtutem præclarámq; uictoriam polliceri,si Christum Deum agnoscerent,cacodæmonesque relinquerẽt:inde asserens,ignauiam illis turpem ingruisse,quòd summo posthabito numine, malos

*malos genios adoraſſent. His uiſis ac cõmonitionibus erecti, fiunt omnes ſine mora chriſtiani:commiſſoque poſtridie prælio,hoſtes partim occidunt,partim fundunt fugantque, reliquos proximo lacu demergunt.*Potiti *tam inſigni uictoria milites Chriſti,angelum denuo monitorem habuerunt.* A quo *in* Araroth *montem ducti,triginta ſine uiatico continuos dies inter conſortia ſermonéſque angelorum peregerunt.Imperatores certiores facti milites Chriſtum profeſſos,in montem conſcendiſſe:reges finitimos cohortarunt,ut ſi bene conſultum uellent dijs,cum exercitibus properarent,ad delendos nouos,conficiendóſque chriſtianos.Iunctis maximis copijs Chriſti milites ab imperatoribus euocantur.*Parent *illi ab* Achatio *præſtructi,ac perſuaſi:interrogatique de ſeceſsione poſt uictoriã facta,per* Achatium *reſpondent,chriſtianos eſſe,* Chriſtóque *uelle militare.*Lapidantur *tum ingenti clamore,ſed in iaculatores lapides retorquentur.Credunt iam mille alij milites: & omnes ſimul ad decem milia crucibus affixi,omnia,quæ Chriſto ſunt illata cruciamenta,pertulerunt.*

Agareni & Euphratenſes)Populi ſunt Aſiæ ad Euphratem.*Alexandriæ*) Aegypti ciuitatis.*Si bene conſultum vellen dus*) Si res deorum bene proſperéque cadere vellent. (*conficiendos*) Trucidandos.

IOANNES ET PAVLVS.

IOannes *&* Paulus *fratres in domo* Conſtantiæ *Conſtantini Cæſaris filiæ præpoſitus alter,alter primicerius fuerant.* Quare *Iulianus apoſtata imperium adeptus,cũm comperiſſet,ex opibus eos, quæ fuerãt Conſtantiæ, pauperes quóſque reficere:conuocatis ad ſe,eandem dignitatem, quam apud Conſtantinum habuerant,ſi uellent manere,promiſit, Cui fratres pij reſponderunt,Conſtantino ſe libenter chriſtiano principi adhæſiſſe:apoſtatæ tamen chriſtianæque fidei deſertori,nullatenus ſe uelle ſubmitti. Cæpit tum Iulianus ſe clericum fuiſſe iacta-*

se iactare,pertesúmque christianorum ignauiam, ab ecclesiá ad deos gentium transfugisse.Denique cum lõga Iulianus oratione fratribus persuadere non posset,ut perfugas agerẽt,christique castra relinquerent:decem illis dies præscripsit,in quibus aut Christum desererent,aut morti succumberẽt. Nihil terruerunt milites Christi imperatoriæ minæ,quin magis gratulabundi,quòd per martyrium ad cœlestia regna daretur accessus,anteuerti tempus,exoptabant. Quod cum minus daretur, eleemosinis dilargiendis decem illos dies impenderunt. Decimus abierat dies,& ecce Terentianus quidam ab imperatore missus,auream Iouis imagunculam precationibus intentis fratribus obtulit:ut ei quam primum thura darent,uel gladio collasubderent. Illi uero dominum Iesum Christum solum adorandum dicere perseuerãtes,hora noctis tertia decollati sunt.Corpora,quòd mandatum à principe Terentianus acceperat,cædem sine strepitu fieri,intra domum ipsorum altißima fossa sepeliuit,mißósque in exilium,euulgauit.Postea uerò cum multa fierẽt ibi miracula,& Terẽtiani filius à dæmone malo fuisset ereptus.Terentianus simul & filius Christum Deum agnouerunt,& baptizati sunt.

Primicerius) Tribunus erat non leuis momenti apud principes. *Apostata*) Rebellis,qui pietatem christianã deseruit. *Perfugas agerent*) Perfugæ dicuntur,qui ad hostes fugiunt,deserto vero duce. *Tempus anteuerti*) Præoccupari.

ZOILVS.

Zoilus Cordubæ clarißimis ortus parentibus,ab incunabulis christiani ueritati addictus est. Ingressus adolescentiã, cum Christum publicitus fateretur,ac prædicaret, tentus ab idolatris,præsidis ad prætorium est delatus. Præses ad culturã illum deorum pellicere conabatur,iam muneribus,blãdis iam sermonibus aggrediens,supplicia nonnunquam intentans per terrefaciebat. Verum minus ualens uirum sanctum à proposi-

to detrahere:morte tãdem affecit.Corpus ne à christianis agnosceretur,& ex merito coleretur,inter peregrinorum corpora sepultum,Sisibuto tandem regnante, cum ecclesia pace fruita est,sic accipimus reuelatum. Vir quidam Agapetus ex nobili Gothorum propagine,ob morum uitæque præstantiam electus episcopus,per quietem audiuit, quo loco diuus Zoilus & mortem pro Christo pertulisset, & furtim sepultus esset. Itaque summo confestim mane conuocatis fratribus,& populo,quæ sunt sibi dormienti audita recensuit:& simul in locum reuelatum deduxit.Ibi primus ipse rastrum corripiens,terrã effodere prius non destitit,quàm uires suggerente pietate, ad corpus sanctißimum penetrauit.

Addictus) Deditus. *Intentans*) Minans.

IVLIANA.

IVliana *nobilis Aphricani filia,Eulosio Nicomediæ præfecto desponsata est.Cúmque uellet Eulosius domum eam ducere,sequutur amicum,negauit,qui Christum non fateretur. Cæditur tum grauiter,ac diuerberatur,sponsoque sine mora à patre traditur. Ille puellarem aggressus animũ blandis uerbis,cum pellicere non posset,ut sibi tanquam sponso acquiesceret,ni fieret ante omnia christianus:uirgis durißime cædi,capillisque appendi,post liquefacto plumbo perfundi, præcepit. Quibus omnibus nihil uirgini sanctæ nocentibus, uinculis ac custodiæ impingitur.Ibi malus dæmon angelum simulans,persuadere conatus est uirgini,ut deos coleret,ne male denuo torqueretur:hoc Christum uelle,& in id se nuntiũ destinasse. His fit uirgo paululum attonita,supplicitérque deprecabũda: mox cælitus admonita,dæmonem tenuit ac deuinxit,faterique coegit,quo pacto christianis imponeret.Quem,ipsa cum educeretur carcere,uinctum secum traxit:& populo conspiciendum ac deridendum protulit.Sæuos quam plurimos deinde cruciatus Iuliana pertulit.Multi miraculis eius exciti,christianã pietatem*

tatem apprehenderunt. Sed ad postremum capitis sententiam subijt, & iugulata est. Quartodecimo calendas Martias cœlos diuam Iulianam conscendisse, compertissimum habetur. Hodie tamen quarto calendas Iulij, Burgensis ecclesia sacrũ eius anniuersarium celebrat: uel quòd eius reliquias, quæ diœcesis huius in oppido Sanctilana tenentur, æstiuis quàm hyemalibus mẽsibus inuisi commodius, frequentarique posse, maioribus nostris uisum est: uel certe quòd hac die quidquid illud est reliquiarum, siue corpus totum, siue pars, ex Bithynia, seu ex Cãpania, quò constat primo translatum, in nostram hanc regionem deportatum fuisse, coniectura percipimus. Concursus etenim tot gentium finitimarum annuus, basilicæq; uetus structura, oppidi nec minus nomenclatura satis arguunt, diem quo reliquiæ triumphali pompa sunt exceptæ, festum in futura secula pronunciatum.

Acquiesceret) Assentiret. *Impingitur*) Ingeritur ac illiditur. *In id se nuntium destinasse*) Aiebat ille dæmon, à deo se missum nũcium in id scilicet, vt Iuliana deos coleret. *Oppidi nomenclatura*) Dicitur oppidum vulgo Santilana, sed olim dictum fuisse sanctam Iulianam, manifestum est. Vulgus enim inuertit literas facile temporis longi nouitate, sicut in Castroxeriz videmus quod olim fuisse Castrum cæsaris, nemo reuocat in dubium. *Festum in futura secula pronunciatum*) Hoc est, indictum esse, vt ille dies perpetuo deinceps festus haberetur.

PAVLVS APOSTOLVS.

Paulus apostolus postquam Damasci uidendi usum, prædicandique euangelium ab Anania munus accepit: christi nomen longe lateque prædicatione uehementi propagauit. Damasci primum, mox in Cypro. Vbi Barietum magum magna hominis clade profligauit: & à Paulo Sergio proconsule nomen mutuatus est: ut eius in conuersione ex relatione Hieronymi exposuimus: quamuis Origenes binominem fuisse

coniectet. Antiochiam deinde ac Iconium profectus, multos christiano cultui mortales adiunxit. Abijt tum Lycaoniam cum Barnaba comite: ubi diuinos ambo honores diuinam ob eloquentiam uix effugerunt. Interuenientibus tamen ex Antiochia Iudæis, mutato uulgi studio, ad mortem est pene Paulus lapidatus. Reuersus inde Paulus Antiochiam ac Hierosolymas, à Petro, Ioanne, & Iacobo collega est assumptus, apostolúsque creatus. Post hoc Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galaciam, Mysiam, Troadem, Samothraciam, Macedoniam peragrauit. Athenis etiam fuit, & Dionysium Ariopagitam cum nonnullis conuertit. Sed longius ab instituta breuitate recederemus, si singulas, quas adiuit regiones, miracula quæ exhibuit, persequutiones quas tollerauit, quoties uinctus, quoties flagellatus, uarijs quoties modis afflictus, commemoremus. Nam quia sæpius fuerat à Iudæis ad mortem petitus, à præside Syriæ Felice Romam sub custodia est missus: ubi etiam biēnio fuit in custodia. Dimissus tandem à Nerone, multa & scripsit & docuit. Extant eius epistolæ ad Romanos, Corinthios, Galathas, Ephesios, alióſque populos & gentes. Extant & ad Senecam: qui plurimum ei detulit. Nero etiam ipse præclare de Paulo sentiebat: qui lectis eius epistolis: dixit: mirari se, non legitime imbutum sic sentire. Cui Seneca respondit: nonnunquam Deos ore innocentium effari. Sed ad postremum, cum in tanta essent Romæ ueneratione petrus & Paulus, ut pro dijs fere colerentur: Nero cui uirtus laúsque omnis aliena suspecta semper, inuisáque fuit, animaduertit in eos. Petrus elatis in sublime pedibus cruci affixus. Paulus eodē die securi percussus.

Qui nosse cupit regiones & vrbes, quæ hic cōmemorantur, vbi sunt, legat Erasmum de peregrinatione Petri & Pauli, & habebit abunde quod quærit. *Plurimum ei detulit*) Præclare quidem sentiebat de eo, quare plurimum venerationis ei deferebat, id est, exhibebat. *Non legitime imbutum*) Non legitime

 initia-

initiatum & institutum iure pontificum,& augurum. *Animaduertit in eos*) Puniuit,& morte affecit. *Securi percussit*) Idem erat olim securi percutere,quod nunc iugulare,quippe quod nunc gladio fit tunc securi fiebat.Hoc tamē interesse videtur,quòd virgis prius cæsi percutiebantur securi:nunc satis est ad christianam charitatem simplici morte afficere.

MARTIALIS.

Diuus Martialis unus ex septuaginta duobus Christi fuit discipulus,protomartyris Stephani propinquus. Quem Martialis & Elisabella genuere,& Petrus apostolus baptizauit.Puer etiam ille fuisse dicitur,qui panes quinque,& pisces duos ad reficienda quinque millia hominum in eremo produxit,& qui in postrema cœna Christo et apostolis ministrauit, quiq; ad lauandos pedes peluim sustinuit.Hic igitur Martialis post ascensionem Christi,Petrum apostolum in Iudæa quinque annos,& in Antiochia septem sequutus,cum eodem tandem Romam uenit.Vnde missus est postea in Galliam ad annunciandum euangelium.Multa sex annos in Gallia miracula edidit:sex mortuos excitauit:ecclesias aliquot erexit,millia hominum tria & uiginti,aut plus eo ad ueram pietatem perduxit.Maxime tamen uirtutes eius in oppido Lemonicensi claruerunt:ubi nunc etiam corpus clarescit. Rediit tandem Romam ad Petrum, cum quo aliquantisper commoratus est. Sed ut populum quem acquisierat,reuiseret, Galliam repetiuit.Vbi,sed potissimum in ciuitate Lemonicensi noua miracula exhibuit,nouas ægrotationes propulsauit.Denique cum paucis ante diebus,quam è uita migraret,Christū ad æterna præmia inuitantem,diémque mortis prænuntiantem,uidisset,re facta diuina,sodalibus ac populo salutatis,decessit à morte saluatoris anno quadragesimo.

Miracula edidit) Publice miracula exhibuit. *Corpus clarescit*) Propter miracula frequentissima.

SEPTEM FRATRES FILII SANCTAE FELICITATIS.

Tam celebris erat Romæ fama pietatis & sanctimoniæ beatißimæ Felicitatis, filiorúmque eius septem Ianuari, Felicis, Philippi, Syluani, Alexandri, Vitalis, & Martialis: ut pōtificum delatione Publio fuerint præfecto præsentati: quo si saluam deorum immortalium religionem uellet, tollendos cū primis de medio curaret. Præfectus Felicitatem primo cæpit cohortari, ne mulier alioqui prudens, se suáque numerosam prolem iret perditum. Misereretur saltem uirentis, florentis, elegātisque filiorum iuuentutis. At Felicitas felix nihilo est blanditmentis, sed nec minis aut terroribus mota, quin filios obtestabatur, ne momentaneæ metu pœnæ Christi confeßionem desererent: iam habituri pro superata morte trophæum. Miratur præses fœminæ uirtutem ac constantiam: iubétque alapis cæsam in carcerem trudi. Filij singulatim uocati, cum thura dare, idolisque submitti contemnerent: flagellis crudelißime cæsi, & in uincula simul coniecti sunt. Antonius imperator certior per præfectum factus, quanta fratres constantia (pertinaciam ille appellabat) christianam pietatem assererent, deósq; gentiū exploderent: diuersis iudicibus, alium alij tradidit cruciandos, torquendos, necandos. Ianuarius plumbatis occisus est: Syluanus præcipitio exanimatus: Felix & Philippus fustibus necati: Alexander Vitalis & Martialis ferro trucidati: felicißima Felicitas post menses denique quatuor iugulata.

Delatione) Accusatione. *Tollendos de medio*) Occidendos, qui enim occiduntur, de medio tolluntur, ne videri possint inter homines. *Trophæum*) Præmium, scilicet vitam æternam: quæ viris pijs debetur velut trophæum. Est trophæum monumentum atque insigne bellicæ laudis & victoriæ. *Plumbatis*) diximus in Tyburtio & Valeriano.

TRANSLATIO DIVI BENEDICTI.

CVm Longobardi quondam Italiam occuparũt, inter alias calamitates, quas christianis intulerunt, Casinense monasterium, in quo diui Benedicti *&* Scholasticæ *sororis condita erant corpora, diruerunt penitus ac euerterunt, sic ut uix ulla uestigia extarent. Quare* Mimolinus Floriacensis *cœnobij ab bas, ne tanti uiri reliquiæ sine honore iacerent, aut earum memoria forsitan obsolesceret: Aigulphum monachum misit, qui corpus summo studio quæsitum in Galliam conueheret. Aigulphus strenue delegatum munus obiuit. Siquidem diuino adiutus oraculo, non corpus modo* Benedicti, *sed* Scholasticæ *simul reperit, & ad* Mimolinum *deportauit.* Mimolinus *maximis precibus exoratus corpus* Scholasticæ *Cænomanensibus dono dedit: quod eorum legati in idem Casinum missi, ab Aigulpho fuerant decepti: cui causam itineris exponentes, non suspicati sunt, eandem ipsum peregrinationis causam habere. Haud tamen corporum facilis fuit discretio, propterea quod cum nuda solum ossa, ex tam longinquo superessent æuo, minus apparebat sexus. Itaque duorum corporum recens defunctorum maris & fœminæ suscitatio ambiguitatem sustulit.* Reuolutis *postea centum decem annis,* Peno *quidam Brixiensis Casinense cœnobium restituit, ac reparauit. Cuius monachi magno Carolo imperante, à Zacharia* Romano *pontifice, Cæsare ipso non refragante, impetrarunt, ut reliquiæ sancti* Benedicti *Casinum, unde fuerant sublatæ, referrentur.*

Longobardi) Populi Germaniæ, qui quondam Italiam occuparunt, & annis ducentis tenuerunt. *(Casinense)* Casinum oppidum Campaniæ. *Obsolesceret)* A memoria deficeret. *Recens)* Recenter. *Ambiguitatem sustulit)* Fuerat enim precibus adeo petitum, vt vir suscitaretur à viro, & à fœmina: fœmina. quod cum accideret, ambiguitatem sustulit, id est amouit.

ALEXIS.

EVphemianus uir patricius, Quiritij sanguinis, cui septingentos fuisse seruos, qui fibulis aureis uterẽtur, memoriæ prodi-

proditum est: unicum habuit filium Alexim,*quem liberalibus disciplinis imbutum ac eruditum,uxorem ducere coegit.* Diui*no tamen instinctus spiritu* Alexis, *& nuptias celebrauit, & sponsæ uirginitatem ipso nuptiali toro persuasit.* Extemplo *quippe sponsæ,cæterisque rebus post habitis,*Edessam Mesopo*tamiæ urbem nauigauit.*Vbi *ad institutum* Christi *& apostolorum sedens inter mendicos, hominum misericordia sexdecim annos uictitauit:egenis ac ulcerosis seruiendo,suisque ex emendicatis stipitibus illis necessaria ministrando.* Tandem *cupiens* Laodiceam *contendere,& uēto reflante ad ostiæ portum delatus,credidit bonus* Alexis,*diuinæ menti placere,ut uitæ reliquum in patria degeret.*Itaque Romam *pertendens, in domum paternam,simulans egenum,diuertit.* Orauit *patrem per* Christi *nomen,ut in ea domo uel angulum ad iacendum daret.*Pater *ut erat misericors pauperúmque perfugium,subscalis eum recubare permisit.* Omnis *quidem spes* Alexis Eu*phemiano exciderat:eo quòd ubique quæsitus,nusquam sui uestigium reliquerat.* Itaque *deformatus uilique ueste semiamictus nequaquam est agnitus: sed sub scalis septemdecim annos multis opprobrijs ac offensionibus à seruis paternis affectus,cōsenuit.* Quo *die demigrauit ad cœlos,uox in basilica* Petri *audita est:quærite sanctum uirum in domo* Euphemiani. Adeunt *domum imperatores* Honorius *&* Archadius *cum summo pontifice:mortuum* Alexim *inueniunt.* Lectóque *chirographo,quod manu compressum tenebat, cognitus est à parentibus & egregie conclamatus.* Pontifex *ac imperatores quam plurimis obuersantibus miraculis,corpus magnifice tumularunt.*

Quiritij sanguinis) Vide quæ adnotauimus in Vrbano.*Memoriæ proditum est*) Traditum & commissum, quod genus dicēdi ab ijs temporibus manasse videtur,in quibus nullæ erant historiæ,sed res memoriæ mandabantur, quippe filij à parentibus accipiebant res gestas maiorum *Imbutum*) Institutum eruditū.

 Instinctus)

Instinctus) Cõmotus. *Nuptiali toro*) Thalamo nuptiali, quo primum maritus & vxor conueniunt, & fœdera coniugalia firmant. *Emendicatis stipitibus*) Nummulis quæsitis mendicando. *Laodiceam*) Ciuitatem Cariæ. *Conclamatus*) Deploratus. *Obuersantibus miraculis*) Pasim interuenientibus.

TRIVMPHVS SANCTAE CRVCIS.

ALfonsus rex cognomento bonus cupiens damna christianis à mauris Bæticam, totámque illam australem Hispaniæ plagam possidentibus illata, resarcire prorsus, ac retaliare (semel enim cum eis aduerso marte pugnauerat) magnũ conflauit exercitum: reges finitimos ac dynastas solicitauit: cõdonationes à summo pontifice impetrauit: ut in eo Pio bello qui caderent, nullis capitalibus cõmissis præpedirentur, quo minus cœlos statim reuolarent. Quare tantus ardor tuendæ christianæ ditionis ac pietatis pleró sque inuasit, ut flagitiũ flagitiosissimũ ducerẽt, à tam pijs castris abesse. Ingentes Toletum copiæ iam ad regem Alfonsum confluxerant. Iam Petrus Aragoniæ rex haud contemnendam manum contraxerat. Iam regem Nauarræ Xanthum aduentare, fama uulgauerat. Iã proceres, iam episcopi: sed Toletanus ante alios, fulgentibus stipati cateruis, regium latus cingebant: cum omnes non sine numine Christi profecti, ditionem maurorum inuadunt. Nõnulla sunt in uia obiter expugnata oppida ignobilia: sed quinto denique die Calatrauam, quæ firmo maurorum præsidio tenebatur, primo impetu capiunt, Alarcos deinde ducunt, ubi se rex illis Nauarræ coniunxit. Maurorum rex, qui ingentem Giennium contraxerat exercitum, ubi nostros comperit in radicibus mõtium consedisse, equitatus partem præmisit, quæ montiũ ad angustias incompositos insidijs exciperet. Ipse lentiori gradu cũ reliquo subsequitur exercitu. Alfonsus tamen rex equitum iam turmam miserat, ad summa montium occupanda: qui fugatis strenue mauris, montis planiciem (Nauas Tolosæ uocant) tenuere, castris locum delegere. Lætus Alfonsus, quòd cacumina

sui

ſui montiū,profligatis hoſtibus,tenuiſſent:omnem iubet exercitū eò conſcendere. Difficilis admodum erat aſcenſus,ſed à peritis locorum turmatim ducti ad faſtigia montis omnes euaſerunt. Quod ubi maurus intellexit:Iam enim ipſe per auerſam partem cum omnibus copijs conſcenderat:iterum equitatū miſit,qui caſtra munire prohiberet. Sed cum neque id proſpere ceſſiſſet,productis omnibus copijs,aciem explicuit, noſtriſque pugnandi copiam fecit. Noſtri eo die proximóque prælio abſtinuerunt. Nocte media,quæ diem à ſuperato monte ſecundā eſt conſequuta,chriſtiani uoce præconis iubentur corpora curare,arma,equos expedire,ſignum pugnæ prima luce intenti expectare. Quod tanto omniū plauſu gratulationéque exceptum eſt,ut noctem,quòd tarda iret,incuſarent. Orta luce, Alfōſus eductis omnibus copijs,aciem inſtruxit, curas inter reges ac proceres partiuit. Haud tamen poteſt ſummatim dici,quem quiſque locum tenuerit,quam quiſq; partem tuendam acceperit. Satis ex euentu perſpicuum eſt,omnia præclariſſimi ducis Alfōnſum munia fortiſſime ſapientiſſimeque obiſſe. Conſertis igitur manibus,ut reliqua nunc prætermittamus,acriter pugnatum eſt:ancépſque diu uictoria fuit. Sed tandem fauētibus ſuperis. Victi mauri,ac occiſione occiſi ſunt. Rex eorum cum quatuor equitibus prælio fuga ſe ſubduxit. Ducēta millia maurorum occiſa memorantur:cum ex noſtris uigintiquinque ſolum fuerint deſiderati. Mira, quæ in hoc prælio contigerunt: numerus primum occiſorum in tanta paucitate chriſtianorū. Crux item in medio conflictu,cum noſtri maximè laborare uiderētur, Alfōnſo quāplurimiſque uiſa in aere. Præterea crux, quæ præſulem ante Toletanum de more geſtatur,bis incolumi ſignifero aciem hoſtium ſublata penetrauit. Quare,& quòd chriſtianis ſymbolum ac inſigne crux erat, triumphus ſanctæ crucis hæc præclara uictoria compellata eſt.

Dynaſtas) Dynaſtæ ſunt viri potētes & magnæ ditionis. *Condonationes*) Indulgentias vulgus appellat. *Regium latus cingebant*)

bant) Circunstabant regem. *Obiter*) Incidenter ac velut in tran situ. *Symbolum*) In hoc significatu signũ vel indicium est quod dabatur à duce suis militibus præsertim in bellis ciuilibus, vbi armorum habitus & vocis sonus erat idem: vt si de quoquã du bitaretur in prælio, hostis an socius esset, symbolum proderet.

IVSTA ET RVFFINA.

IVsta & Ruffina uitam agebant Hispali pudice ac sancte, mercimonio fictiliũ uasculorum uictum quæritantes, paupe rum mendicitatem sua illa tenuitate iuuantes, successiua tempo ra diuinis laudibus impendentes: cum hostis ille humani gene ris truculentus ac ferus medius interuenit, honestúmque uiuen di modum perturbauit, ac sustulit. Quædam siquidem matro næ Salambonem (sic Venerem Babylonij uocant) circunferen tes, uas in eius sacrorum usum à sanctis fœminis postularunt. Illæ facere se nolle dixerunt, causantes, Deum christianos non lapides uenerari. Pessimæ tum fœminæ dimisso simulachro, ua sa pleràque confregerunt. Quare Iusta & Ruffina integerri mæ quidem matres familias factum pessimum improbãtes, ido lum confregerunt, ac omnino deformarunt, mediam in uiã pro uoluentes. Quod adeo plebem concitauit, ut cõprehensæ mox traherentur ad præsidem Diogenianum. Qui christianas esse cognoscens, eculeo extẽdi, ferreisque ungulis laniari præcipit: post tetro carceri mancipatas, nouis exquisitisque modis cru ciari. Productæ tandem ad præsidem, dijs supplicare litaréque iubentur. Illæ Christo cum honorem deberi contendunt: Cũque per cautes & montium prærupta post iudicem nudis pedibus ductæ, non mouerentur: Iusta tandem in carcere uitam dedit. Corpus in puteum missum, à Sabino est episcopo sublatum, se pulturæque traditum. Ruffinæ pleno Deum ore fatenti gula est fracta, corpúsque combustum. Sed à Sabino ossa collecta, cum Iustæ reliquijs Hispali sepulta sunt.

Salambonem sic Venerem Babylonij vocant) Aelius Lampridius meminit salambonis in vita Heliogabali, & Baptista Ignatius ibi est

ibi est autor huius interpretationis, ne quem sua laude fraude mus. *Prouoluentes*) Contrudentes. *Hispalis*) Ciuitas Hispaniæ, quæ nunc Sibilla dicitur.

MARINA.

Marina in Græcia nata, patrem habuit monachum. Qui defuncta uxore, filiáque Marina propinquo commendata in monasterium secesserat. Hunc abbas post aliquot dies ab induto cucullo solicitum mœstúmque cernens, interrogauit, unde illi tam crebra suspiria. Qui respondit, filium se in mundi fluctibus reliquisse: cuius de uita solicitus, prorsus intabesceret. Non ausus est uir bonus filiam fateri, ne non admitteretur. Abbas morem cupiens gerere monacho, quem bonæ mentis esse compererat: eius filium fieri monachum, permisit. Ita Marina sexum uirili habitu mentita, cœnobitarum in sodalitium cooptata est: Marinúsque appellata. Profecto fuit in ea tanta morum uitæque integritas, tanta humilitas, ut in ore omnium esset. Mortuo patre, cuius ad arbitrium semper uixerat, omnibus cæpit se summittere, nulli non parere, omnem ultro laborē subire. Igitur cum ad lignandum frequentißime mitteretur, & interueniente nonnunquam nocte bonus Marinus diuersorio cuiusdam Pandochei sua non sponte uteretur: maximum sui nominis monasterijque dedecus incurrit. Erat Pandocheo filia facie præstanti, quæ non repugnans à milite compressa, cum uterum dißimulare non posset, Marino crimen impegit. Abbas Marinum fatentem crudelißime flagellauit, éque monasterio protrusit. Ille trienniū iacuit ante ianuā in puluere, frustulis ac panis miculis uictitans. Puer trimus ei ueluti parenti traditur, quem eodem in puluere biēnium aluit, omnique cura fouit. Tandem abbas omnésque monachi patientia Marini uicti, in monasterium cum puero reduxerunt. Vbi ministerio ruderum egerendorum admotus, uitam perpetuo in labore duxit, ac finiuit. Iussus tamen est cum diem obijt, procul à cœnobio sepeliri, quòd nondū exacto tempore, quod erat pœnitentiæ

nitentiæ dictum, abbas, deceßisse, contenderet. Sed cum à mona chis de more cadauer lauaretur, apparuit esse fœminã. Quod adeo monachos uertit in admirationem simul & mœrorem, uolentes secum, quòd uirginem sanctam immerito afflixissent, ut sublatis continuo clamoribus, intra ecclesiam loco decenti se pelierint. Puerpera mendax à malo dæmone uexata, non prius ualuit fugere cruciatus, quàm ad sepulchrum uirginis Marinæ se ream peregit.

Post aliquot dies ab induto cucullo) Hoc est ab eo die quo se monasterio deuouit. Est enim cuculla vel cucullus vestis cõspicua monachorum, quæ potissimum vulgo videtur facere monachum. *Intabesceret*) Mœrore conficeretur. *Sexum mentita*) Nam cum esset fœmina sub indumentis viri fefellit monachos. (*cœnobitarum*) Monachorum, inter quos vita communis viuitur. Koinos enim communis, Bios vita. *Ad lignandum*) Ad conuehenda ligna. *Diuersorio*) Hospitio. *Pandocheus*) Stabularius, qui præest hospitio. *Impexit*) ingessit. *Quod erat pœnitentiæ dictum*) Assignatum & decretum. *Ream peregit*) Seipsam accusauit, & crimen confessa est.

MARGARITA.

MArgarita Theodosij uiri nobilis filia in oppidulo haud procul ab Antiochia nutrita est: Quam pater cum bapti smati sacro didicit admotam, consenescere inter pecudes nutricis sinere decreuerat. Cæterum annum agens ipsa quintum decimum, cũ nutricis oues ad pascua duceret, ab Olybrio præfecto Antiochiam forte petenti, uisa simul et adamata est. Quæ siuit ex ea Olybrius nomen, genus, et professionẽ. Cui respondit illa: nobilem se, Margaritámque uocari, ac esse christianam. Obiurgare cæpit Olybrius, quòd uirgo ingenua Christum à iudæis crucifixum coleret: sed cum præter ætatem firmã atque constantem intellexit, in carcerem misit. Sequenti die producta, uerba nihilòminus præfecti elusit, dijsque libare cõtempsit: quare eculeo tenta uirgis immanißime cæsa est, ac carceri red dita.

dita. Vbi sub specie draconis à dæmone malo deuorata, facto signo crucis per fracturam uentris emersit. Iterum malus genius hominem simulans, uirginem dolis agressus est. Sed tētus ab ea populo derisui fuit. Denique cum exquisitis Margarita cruciatibus ageretur, faciem nunquam mutauit, nec signū per turbationis aliquod dedit. Exurebatur admotis facibus corpus tenellum, & rursus in dolium frigidæ circunstante populo, mit tebatur: cum ecce terræmotus factus est, & columba cælo pro lapsa, uirginis capiti tiaram imposuit. Quo miraculo quatuor millia ethnicorum, præter fœminas & paruulos, christianam ueritatem apprehenderunt. Olybrius timens, ne populus mira culis motus, Margaritæ dogma probaret, gladio animaduertit in eam. Quæ pro carnificibus orans, ferrum libens excepit: & ad empyrea regna migrauit.

Admotam) Adhibitam & ablutam. *Supra ætatem*) Præter ætatem, erat enim adolescentula, & videbatur prudentia grandis. *Elusit*) Contempsit, & ludibrio habuit. *Eculeo tenta*) De eculeo diximus in Agatha. *Ageretur*) Torqueretur. *Tiaram*) Est tiara ornamentum capitis, velut pileum sacerdotum vel corona. *Animaduertit in eam*) Puniuit, mortéque affecit.

PRAXEDIS.

PRaxedis prudentis uiri Romani filia: quem Paulus apostolus instruxit. Cum sorore primum Potentiana precibus pijsque colloquijs assuefacta, pia semper officia frequentauit. Ambæ quippe sorores post mortem parentum facultatum maximam partem in pauperes erogarunt, eorúmque ministerio frequentem operam impenderunt. Potentiana uerò defuncta, funereq; cum pio pontifice officiosissime procurato, Praxedis domum paternam pauperum fecit receptaculum. Nouato etiam fratre germano mortuo, cum Pio egit, ut in eius thermis ecclesia dedicaretur. Nullum præterire diem Praxedis immunem sinebat, in quo pietatis aliquid non resplendesceret. Iam tumulandis martyribus, iam iuuandis subleuandisque hominum mē-

dicabulis

dicabulis intendebat. Tandem inter ipsa pietatis & misericordiæ opera dedit animam, tumulatáque est in uia salaria. Hoc ipso die post longa temporum curricula, Maximiano Romanis imperante, diuus Victor *in urbe Maßilia sæuis cruciatibus est affectus. Per mediam siquidem urbem funibus tractus, eculeóq; suspensus, fustibus ac neruis cæditur. Postea Iouis ad arã delatus, cũ eam pede percuteret, ensi secãdum submittere pedẽ, iussus est. Molæ tandẽ suppositus aquariæ, quòd cœlo fauente machinam dissoluisset, gladio est confectus. Tres simul cũ eo milites* Alexander, *Lõginus, &* Felicianus, *qui eius custodiæ præpositi, in Christum ob miracula crediderant, decollati sunt.*

In eius thermis) Erant thermæ loca amplißima & sumptuosa, q̃ aut calentibus aquis, aut ipso sine aquis fornice igne calefacto, lauandi sudandíque vsibus deputabãtur, & inter duodecim præcipuas q̃ visebantur Romæ, Nouacianæ haud tenebant postremum locum. *Immunem*) Liberum, vacuum aliquo pio opere, *Mendicabulis*) Mendicabulum dicitur mendicans pauper.

MARIA MAGDALENA.

Maria Magdalena, Lazarus quẽ suscitauit Iesus, & Martha fratres, mortuo parente Syro uiro clarißimo, et Eucharia matre, tripartitã hæreditatẽ sortiti sunt. Mariæ Magdalenæ castellum siue castrum Magdalum, à quo denominata est: Lazaro pars siue uicus Hierusalẽ: Marthæ Bethania, Villa in latere montis Olиueti, obuenit. Cum igitur Maria Magdalena diuitijs afflueret, quas comes plerumque solet uoluptas sequi: pulchra quin etiam præstantique facie superbiret, totos pudicitiæ frenos abrupit, deliciásque corporis nimium amplexata est. Quippe sui faciens omnibus copiam, peccatrix uulgo nuncupabatur. Cæterum cum Christum in domo Simonis leprosi recumbentem uidit, protinus credidit: & seipsam noscens, immutata est. Prouoluitur ad pedes nostrĩ reparatoris: miserabili fletui indulget: lachrymis pedes rigat, & lauat: capillis tergit, ac siccat, tãmque ex animo dolet, & commisso-

rum

rum pœnitet,ut omni noxa absoluta,cumulatißimam gratiam receperit. Hæc est illa mulier,à Christo nimium dilecta, sic adeo comprobata, ut septem ex ea dæmones malos expulisse, uitia scilicet referatur. Hæc illa est Christo tam accepta,ea familiaritate coniuncta,ut apud Pharisæum immunditiæ, apud sororem Martham otij,apud Iudam proditorem prodigalitatis ream,dulciloquio excusauerit,expurgauerit, commendauerit. In huius gratiam Lazarus suscitatus est: Martha à fluxu sanguinis expurgata.Hæc ad pedes Christi diuina uerba percepit,corpus unxit,à monumento, recedentibus cunctis non abceßit. Huic potißimum Christus resurgens obuersatus est. Post Christi ascensionem ad patrem,Stephano lapidato, discipulísque dispersis,iudæi Magdalenam & fratres cum pluribus alijs impositos naui,domo patriáque exulare compulerunt. Qui sine remige,sine rectore maria sulcantes, Maßiliæ tandem appulere. Tantam fuisse elegantiam,uimque dicendi in Magdalena comperimus, ut Maßilienses melleam eius orationem cum pulchritudine coniunctam admiratos, ceu diuinum quoddam oraculum audiuisse,literis mandatum sit. Non enim modo plebem humilem fecit orthodoxam, sed miraculis principi persuasit,prolem,quam sterelitas coniugis abnegabat à Christo deo esse petendam,potius quam à simulachris,uanísque dijs. Iam uterum sterilis gestabat mulier,iam princeps cum prægnante coniuge ad uidendum Petrum Romam festinabat,cum insperato grauida medijs in fluctibus puerum enixa,mortua est. Nautæ precibus uiri permoti,cadauer cum filiolo in proximo littoris antro exposuere. Post annos denique duos,eandem relegens uiam princeps ille,ludentem in littore filium, & ad matris ubera refugientem prospexit. Adijt antrum,uxorem demortuam tentat:& (dictu mirabile) resurgentem tanquam é somno mox excepit, atque secum in patriam cum bimo puero reduxit. Quæ toto illo biennio à diua Magdalena fotam,cibísque nectareis refectam, prædicabat.

bat. Princeps *gratijs Magdalenæ actis,cum omni populo baptizatus est,Christóque templum erexit,cuius dicitur Lazarus gessisse præsulatum.* Post *hæc Magdalena eremū adijt,in qua triginta perdurauit annos,tantum pœnitudini,religionique indulgens,quantum mundo prius delitiisque impenderat.* Nulli *hominum per id tempus uisa est:solis angelis frequentata, donec instantis mortis præscia,à sacerdote solitudinem eandē incolenti,passa est adiri.* Cui *ad* Maximinum *episcopum, unum ex septuaginta duobus* Christi *discipulis,qui comes fuerat itineris à* Iudæa,*mandatum dedit:ut proxima die dominica cum* Eucharistia *paratus ad arā esset.* Venit *præstituta die* Maria *septa angelis,* Christíque *sumpto uiatico,cōcidit,ac expirauit.*

Sortiti sunt) Per sortes obtinuerunt. *Obuenit*) Contigit,sorte habuit. *Sui faciens omnibus copiam*) Genus est dicendi à primis illis latini sermonis fontibus ductum,cum volumus significare fœminam omnibus esse communem. *Copiam*) Potestatem. *Orthodoxam*) christianam, rectæ opinionis & sententiæ. *Vterum gestabat*) Vterum gestare idem est quod prægnantem esse. *Bimo*) Duorum annorum. *Cibis nectareis*) Nectar potio deorum est.

IACOBVS APOSTOLVS.

IAcobus *Zebedei filius* Ioannis *apostoli frater,maior uulgo est appellatus,non ob ætatem sane prouectiorem: sed quia prior illo* Iacobo *qui cognomento minoris ab hoc distinguitur,ad apostolatum fuerit cooptatus.* Hic *maior* Iacobus *post* Christi *ad patrem ascensum,*Iudæam *&* Samariam *concionando percurrit:duodecim tribubus,quæ dispersæ erant,euangelium enunciauit.* Hispaniam *tum etiam adijt: sed quia tota peragrata prouincia,solis nouem uiris* Christi *doctrinam ingessit,relictis ex ijs duobus,qui propalando nomini christiano insisterent:cum septem alijs retro in* Iudæam *reuersus est.* Omnes *in* Iudæa *synagogas adibat:nulla conuenticula deuitabat, uerisque sacrorum librorum testimonijs asserēs,prædicta pro*

phetarum in uno nimirum Christo uera fuisse: Christum quasi lineamentis quibusdam designasse, nulliq; quadrare aptius potuisse. Hermogenes quidam Magus non ferens, quæ tanto mortalium plausu Iacobus de Christo prædicabat, imò ueritus ne mentibus auscultantiũ inhærerent: Philetem discipulum misit ad eum, qui sophisticis enthymematis euinceret, de redemptore uana profari. Sed multo contrà euenit. Iacobus siquidem ueris Philetem rationibus irretiuit: eáque miracula coram est operatus, ut reuersus ad Hermogenem Philetes, uera apostolum prædicare contenderit, disciplinámque eius amplexatum fassus fuerit, Hermogenes elatus in iram, ob ea quæ Philetes de Iacobi doctrina prædicabat, diris cum magicis colligauit, ita ut se quoquam mouere non posset. Philetes puerum ad apostolum misit: qui sudarium retulit, cuius contactu solutus Philetes, Hermogenis magiam insultauit: & ad apostolum concitus peruolauit. Hermogenes tum dæmonibus imperat, ut Iacobum & Philetem uinctos trahant. Sed cum ad apostolum mali genij deuenere, comprehensi ab angelis, catenísque flammeis colligati, duréque torti, honrrendos promere ululatus à circũ stantibus sunt auditi. Tandem soluens eos apostolus, imperauit, ut Hermogenem sine offensa ligatum traherent: qui celeri cursu delati, manus ei post terga reuinciunt, pérque aera trahunt. Rogabant mali dæmones Iacobum, ut liceret eis per illum de Hermogene pœnas sumere: atque quòd in incendia trusisset, in illum uindicare. Quibus apostolus, ecquid uos, inquit, in Philetem uobis astantem non sæuitis? Nobis, referunt, nec formicã tuæ custodiæ mãcipatã lædere, permissum est. Denique cupiens apostolus ad institutum Christi malis quibúsque bona referre: Phileti mandauit, ut solueret Hermogenem, liberúmque abire permitteret. Hermogenes tot uisis attonitus, discedere non audebat, ne malis à dæmonibus opprimeretur. Accepto tamen Iacobi bacillo, securus abijt, & libros magicos ad eum mox attulit: quos uetuit apostolus cremari, ne odor incau

tis officeret. Itaque cum proiecisset libros Hermogenes in mare, reuersus ad apostolum, ueniam impetrauit. Enimuero timorem ueri Dei Hermogenes præ se semper deinceps tulit, miracula passim operatus est, fuitque quamplurimis apostolicæ uirtutis exemplum. Stupefacti iudæi, monstróque simile iudicantes, Hermogenem subito fuisse mutatum: apostolum incusant, quòd subdola populum persuasione deciperet. Ille contrà, scripturarum oracula ac testimonia proferebat: multis confirmans rationibus, quæ de Christo pronunciauerat. Quid multis moror? Qui seueri castigatores accesserant, christiani plerique recessere. At uerò Abiathar pontifex populum repente concitans, comprehendendum, necandumque apostolum inclamauit: Iosias scriba fune collum implicuit. Trahitur ab uniuersa turba diuus Iacobus ad Herodem Tetrarcham. Qui iudæorum animaduertens ardorem ingentem, inexplebiléque sitim interficiendi Iacobum: cupiens quin ipse plausum eorum, fauoremq; uel cum alterius damno, demereri, sententiam protulit, ut Iacobus Christi apostolus secto capite interiret. Ducebatur ad locum martyrio destinatum decollandus: & prostratum uidens paralyticum media uia clamantem, ac obtestantem, ut in nomine Iesu sanaretur: continuo restrinxit, ac incolumen abire præcepit. Iosias qui collum fune primo ligauerat, uiso tam insigni miraculo, Christum deum esse credidit: & simul cum apostolo decollatus est. Anno quarto ab ascensu Christi nondum exacto.

Cooptatus) Euectus, creatus. *Propalando*) Manifeste euulgando. *Sophisticis enthymematis*) Argumentis sophistarum, quæ pungunt quasi aculei, nec aduersario locum dant ad respondendũ. *Insultauit*) Irrisit. *In illũ vindicare*) Vindictam sumere. *Demereri*) Conciliare, deuincere. *Paralyticum restrinxit*) Paralysis dissolutio neruorum est, passio quidem acutissima, & quæ subito reddit hominem inutilẽ: qui eo morbo laborat dicitur paralyticus, id est, dissolutus, vnde propriæ dixit restrinxit: quoniam nihil aliud est in eo morbo restringere, quam sanitati reddere.

CHRI-

CHRISTOPHORVS ET CVCVPHATVS.

CHristophorus genere iudæus, patria cananæus, uir ingenti corpore dominum ac imperatorem quæritabat supremum. Nactusque regem magnæ ditionis christianum: cum animaduertit ad nomen cacodæmonis, signo se crucis armare, cognita causa, diabolo se protinus clientem dedit. Longa tamen obseruatione bonus assecla comperit, malum dæmonem salutaris effigiem, crucemque expauescere. Quare relicto eo, contēdit ad Christum. In cuius gratiam monitus à uiro pio, à quo est baptizatus, peregrinos ad fluuium quendam humeris aliquādiu transportauit: inter quos tandē Christum pueri specie meruit etiam sustinere. Miranti Christophoro graue pondus in puero: nil mireris, Christus intulit, factorem gestasse te mūdi, scias cuius tibi rei signum erit, baculus in terram fixus, qui dicto citius germinabit, uernansque florescet. Quod cum experiretur Christophorus, dominū, quem quæsierat, & agnouit, & adorauit supremum. Profectus inde plenus deo, in ciuitatē Amon peruenit, ubi plurimam plebem Christo miraculis acquisiuit. Rex eius regionis miratus in Christophoro uastitatē membrorum: cum comperit esse christianū, tormentis affecit. Verum cum sagittis ad palum ligatus transfigeretur, ex una repulsa sagitta rex oculum amisit. Christophorus, qui demortuus putabatur, repente loquutus, admonuit: suo sanguine, cum postridie decollaretur, perunctum regem iacturam oculi resarturum. Quod cum euentus comprobasset, rex ad Christū conuersus Christophori funus regia presentia honestauit.

CVcufactus Scillitanus, Barcinone Hispaniæ ciuitate sub præside Maximino immania pertulit tormenta. Flagellatur, torretur, assatur, uirgis ferreis cæditur: durat tamen, & orat. Iudex ipse ad aram Iouis corruens, expirat: multi mortales credunt, christianique fiunt. Cæterum suffecto in demortui locum Ruffino, continuo Cucuphatus trucidatur.

Regem supremum) Maximum. *Clientem*) Familiarem & assèclam, quem subsequeretur veluti Cliens patronum.

MARTHA.

Martha Syri uiri primatis & Eucharia filia, Lazari, Magdalenæque soror, cui hæreditatis iure Bethania suc cessit, quòd Christum domi læta suscepit, seduleque ministrauit, hospita Christi meruit nuncupari. Hæc post Christi ascensionem cum fratribus in exilium missa, uenit Maßiliam, qua primum in fidem Christi recepta, Aquense territorium etiam tenere fratres curarunt. Erat ea tempestate ad Rhodanum flu men in nemoroso saltu immanis draco, cuius anterior pars animalis terrestris erat, posterior desinebat in piscem. Hic om nes illac traijciētes interimebat, naues subuertebat: donec Martha populi rogatu, cingulo ligauit, turbæque conficiendum, ac lanceis trāsuerberandum cicurem exposuit. Quare Lazari et Magdalenæ permissu locum illum Martha incoluit, & ecclēsiam in eo matri uirgini consecrauit. Iuuenis quidam Martham cupiens adire, Rhodanum, non suppetente nauigio, tranare tentauit, & uiribus destitutus medio in cursu defecit, undisque absorptus interijt. Hunc Martha uix altera die repertum præcationibus excitauit, uitæque reddidit. Multis durauit annis Martha, precibus officijsque pijs, ac carnis afflictationi bus intenta. Nam & sororis animam, cum cœlos peteret, uiuens ipsa prospexit, mortique proxima Christum ac sororem habuit monitores, & ad diuinas epulas uocatores. Aderat hora Marthæ uitæ suprema, et extra tectum educta, subque dio lecto composita: cum illati Christo cruciatus ex annalibus Lucæ proxime legerentur, ad uerba, pater in manus tuas commē do spiritum meum, defixis in crucem oculis, expirauit.

Cicurem) Mansuetum. *Sub dio*) sub cælo, sub aere, scilicet extra tectum. *Illati Christo cruciatus*) Tormenta, quæ Christus per tulit in cruce & in prætorio. *Ex annalibus Lucæ*) Ex euangelio Lucæ.

Lucæ. Sunt enim annales historiæ, in quibus res gestæ singulorum annorum ordine continentur, quare recte euangelia dicũtur annales, in quibus Christi res gestæ gradatim per annos singulos recensentur.

INVENTIO STEPHANI NICODEMI, GAMALIELIS ET ABIBONIS.

Haud procul Hierosolymis presbyter quidã Lucianus uidere uisus est in somnijs uenerandũ quendã senem, sic ipsum compellantem: Eia age Luciane, pande meum sociorũq; sepulchrum: dicito Ioanni Hierosolymarũ antistiti, ut honestiore nos loco reponat: erimus aliquando mortalibus agrorũ sterilitate laborantibus patrocinio. Exterritus *Lucianus tanto uisu: quis tu es, inquit, quos socios memoras? Sum, retulit, Gamaliel, qui Paulum apostolum erudiui: iacetque mecum Stephanus, quem lapidauerũt iudæi, & meo ego monumento sepeliui. Iacet & Nicodemus meus nepos, qui nocte ad Iesum uenit, & à Petro & Ioanne baptizatus est. Quẽ postea crudeliter à iudæis cæsum excepi ac foui: mortuũque tandẽ ex uulneribus, eodẽ sarcophago tumulaui. Iacet simul Abibõ filius meus, qui mecũ baptizatus uirginitatẽ uouit, ac perpetuo seruauit. Hæc uisio iterũ ac tertio dubitanti Luciano obiecta, locũ ac loculos distinctos monstrauit: Stephani ob martyriũ rubeis refertũ rosis: Nicodemi & Gamalielis candidis: Abibonis ob uirginitatẽ argenteũ, spirantique croco plenũ. Abijt Hierosolymã Lucianus ad Ioannẽ episcopũ, & exposita reuelatione prodigiosa, Ioannes & alij episcopi ac presbyteri ad locum mõstratũ citi contenderunt: & cũ fodiendo nihil proficerent, iterum Gamaliel monacho Migetio locũ in somnis signauit. Cũ igitur egeri corpora, nudarique cœpta sunt, mira fragrantia odorque diuinus nares omnium peruasit. Mirãtur cœlestem ambrosiã, concurrunt undique mortales: duo & septuaginta homines uarijs languoribus oppreßi, sanantur. Tandem corpora in ecclesiam sanctam Sion illata, summa celebritate sepulta sunt.*

Tanto visu) Visione. *Sarcophago*) Sepulchro. Est sarcophagus lapis corpora defunctorum in ipso condita breuissime absumens. Vnde ab edenda carne nomen habet. *Obiecta*) Oblata. *Loculos*) Capsulas in quibus cadauera claudebantur. *Ambrosiam*) Dulcedine odoris. Est Ambrosia cibus Deorũ, nectarque potio.

CENTOLLA.

Centolla uirgo Hispana cum multis uirtutibus esset insignis, & christianam pietatem acuratissime coleret, ad regem, qui summa tum rerum in Hispania tenebat ducta est. Qui uidens eam in prædicando Christo, mirum in modum constantem, cruciari iussit: deinde Eglisio præfecto sæuioribus, si non mutaret animum, afficiendam tormentis tradidit. Eglisius nullum tormentorum genus omisit, quod in Centollam non exercuit: eculeum, pectines, uirgas ferreas: denique mamillas secuit, & in carcerem retrusit: quo misso interiret sanguine. Frequẽs mulierũ multitudo intromittitur ad eã. Dolẽt, solantur, rogãt ut animũ mutet, quo medicis adhibitis, uulnera obligentur, sanenturque. Illa uultu sereno multo se maiora pati promptam dicit. Si scirent ipsæ, quæ martyribus præmia manerent, inuidere potius, inducerent animũ, quã dolere. Irrupit carcerẽ Eglisius, & Centollæ ipsius uerba contemnenti, probraque in deos iacienti, linguam præcidit, & abijt. Tunc Helena nobilis fœmina ueniens ad Centollã, eius uirtutẽ cæpit extollere, & ne deficeret, adhortari. Cui Centolla: ego libens quidẽ patior, tu uide, ne deficias, quæ simul mecũ trucidanda es. Præses ubi uidit Cẽtollam non posse superari, & ad moriendũ secũ Helenam pellexisse: antequã numerus cresceret, ambas decollauit. Corpora post aliquot secula, Alfonso decimo regnante, Gonsalus Burgẽsis episcopus in Burgensem ecclesiam trãstulit: & celebri pompa instituit, quotannis earum solennia celebrari.

Summa rerum) Summum imperium. *Mutaret animum*) Propositum quod animo conceperat. *Eculeum & pectines*) De his iam admonuimus. *Misso sanguine*) Mitti sanguinem dicitur cũ

fit

fit phlebotomia, vel homo iugulatur, aut quouis modo sanguis ex vulnere fluit. *Inducerent animum*) Secum deliberarent.

MARIA AD NIVES.

Quo tempore Liberius Petri sedem tenebat, Ioannes quidam uir patricius, ingentes Romæ diuitias poßidebat: eratque procreandæ prolis mirandum in modum cupidus, ut in tanto patrimonio succeßor ex uoto contingeret, qui & nomen referret, & stemmata continuaret. Itaque uersus cum stere priliconiuge pias ad preces, Mariam uirginem & matrẽ, supplitijs quotidie intentißimis rogabat, ac obtestabatur, ut sobolẽ eis ad propagandum genus & familiam à Iesu filio impetraret: aut uiam ostenderet, qua uiuẽtes, in aliquo pio poßent ope re congestas opes insumere. Nonis igitur Augusti, cũ solis potißimum æstus mortalibus negotium facere solent. Ioanni coniugique uirgo mater noctu coram astitit: eorum precibus docet, uictam descendisse, quo piam præsens hæreditatem adiret. Mihi Romæ, dixit, nulla nunc habitatio est, nulla basilica. Surgite cum primis mane, & in ea parte montis Superagij quam contra naturam temporis niuibus uideritis oppletam, domum mihi construite. Locus ille uestrarum facultatũ hæres esto. Eadem Liberio pontifici uirgo mater denunciauit: atque ut orta luce cum clero & populo locum monstratum adiret, imperauit. Liberius fugatis tenebris, uisa Ioanni nunciat: ille uicißim eadem per noctem oblata, commemorat. Conuocant extemplo clerum ac populum: montem conscendunt: & (dictu mirabile) locum basilicæ dicandæ commodißimum, altißima niue conspiciunt occupatum, cum proxima quæque circum æstuarent. Ita diuæ Mariæ basilica Ioannis oppibus fabricata est, longeque dotata, quod primum fuit ei Romæ templum dicatum.

Stemmata continuaret) Insignia & maiorũ imagines, vel si magis placet, generis seriem & gradus produceret. *Negotium facere*) Molestiam afferre. *Hæreditatem adire*) Apprehendere.

DOMINICVS PRAEDICATORVM. PRINCEPS.

Dominicus institutor ac princeps ordinis prædicatorij, qui periclitanti nauiculæ Barionæ quasi nouum sydus affulsit: in uico Caleruega Exomensis diœcesis in Hispania, patre Felice matreque Ioanna natus est. Cuius ante ortum mater filij præsaga magnitudinis, catulum se gestare somniauit, faciē ore tenentem: qua cunctus erat orbis conflagraturus. Puer sæpe uisus est Dominicus humi cubitare: quo carnis disceret delitias fugere. Vinum annos decem, quos Palentiæ sacris literis impendit, non bibit. Libros omnemque supellectilem, ingruente fame, uendidit, quo pauperculis subueniret. Cooptatus postea in canonicum ab episcopo Exomensi ob egregiam indolem, cū eodem in Galliam ad refutandos comprimendósque Albigenses hæreticos (populi sunt prope Tholosam: qui fidem catholicam id temporis disturbare sunt conati) contendit. Aduersus quos, defuncto episcopo, bellum sane decemnale non sine summo discrimine gessit, domuitque quam plurimos miraculis ac firmis sacrorum librorum testimonijs. Seipsum uendere, uir pius tentauit, quo uirum quendam redimeret, qui ob paupertatem hæreticis se addixerat. Cæterum cum de instituenda noua obseruatione ad retundentos latius hæreticorum insultus, sæpius cogitasset: Romam ad frequens concilium abijt. Innocentius tertius Dominici nouum uidit institutum, & admiratus est: sed Honorius successor ratum habuit, sacríque palatij Domini cum magistrum fecit. Docebat Dominicus suos nouæ militiæ commilitones, ueram non modo religionem colere, sed pietatis lucem sua prædicatione (unde nomen traxerunt) terris omnibus propagare. Habitauit primo cum frequenti sodalitio apud sanctum Sixtum: deinde apud sanctam Sabinam. Miracula uir apostolicus tanta paßim operatus est, ut uolumine uix ualeant comprehendi: quare illis nunc supersedemus. Decessit Bononiæ anno post Christum natum ducentesimo uicesimo se

cundo super millesimum: & à Gregorio nono in numerum sanctorum relatus est.

Perichtanti nauiculæ) ecclesiæ, quæ per nauiculam significatur. Periclitabatur autem hæreticorum procellis agitata. *Barionæ*) Petrus apostolus & princeps ecclesiæ dictus est Bariona i. filius Ioannis, vel filius Columbæ, nomen est ex syro & hebreo conflatum.

MAMMES.

ANnum agens Mammes duodecimum, parentibus iam defunctis, Cæsarea Capadociæ natali solo egressus, montẽ conscendit: quo persequutionem Aurelianam *uitaret.* Et pascẽdis *intentus ouibus, earum lacte uictitabat, pijs etiam interdum supplicijs indulgebat. Cælesti tamen oraculo monitus, cum in camporum planiciem descendisset: codicem euangeliorum, & baculum forte oblatos sustulit, & in montem secum reportauit. Lectioni uacabat euangelicæ Mammes, cum ecce multitudo ferarum conuenit, & ubera mulgenda præbuit.* Idque cum *fieret quotidie, Mammes ferarum lac cũ ouillo lacte in caseũ pressum, ad portam ciuitatis distrahebat, pecunias in pauperes erogabat.* Præses *ciuitatis audita munificentia uere pia, milites duos misit, qui Mammetem comprehenderent: feris tamẽ septum non ausi contingere, refugerunt trepidi. Mammes eos consequutus, ad præsidem uenit, & Christianũ se professus est. Præses pueri miratus audaciã, ueritúsque ne ad eius exemplũ discerent alij contemnere diuos: in eculeo torqueri, mox pertinacem in carcerem trudi præcepit. Mammes in uinculis quadraginta cernẽs christianos inedia marcidos intabescere, Christum exorauit: & refractis ostiorum uectibus, cunctos emisit. Præses prodigiosi facinoris admonitus, in caminum ignis Mãmetem coniecit: cúmque intactum conspiceret ab igne: medio in amphiteatro leonibus deuorandum exposuit. Sed horribilis leo humana uoce testatus, imperio dei se facere: quam plurimos*

mos ex iudæis ac gentibus interemit. Ad postremum lapidibus obrutus Mammes, circum strepentibus angelis emigrauit.

Distrahebat) Vendebat. *In amphitheatro*) Amphitheatrum lo cus spectaculi, vbi pugnabant gladiatores.

CYRIACVS, LARGVS ET SMARAGDVS.

CVm Maximianus imperator christianos, qui Romæ erãt, ad egerendam arenam, reliquámque materiam comportandam, in gratiam Diocletiani, qui thermas magnificentißime construebat, damnaßet: Cyriacus, Largus, & Smaragdus simul damnati sunt. Sed quia Saturninum senẽ, qui sarcinas ferre nequibat, iuuantes Cyriacus & Sisinus deprehensi sunt: in carcerem sunt teterrimum omnes coniecti. Vbi Saturnino & Sisino morte mulctatis, Cyriacus, Largus, & Smaragdus biennio tenti, inconcussam fidem tenuere. Ingreßo tandem urbem Diocletiano, cum filiam eius Artemiam Cyriacus cacodæmonis ab infestatione eriperet: missus est ad regẽ parthorũ, quo filiã eius etiam à malo genio uindicaret. Quod non solũ præstitit Cyriacus, sed & ipsum regem cum filia & plebe nõ pauca traduxit ad Christũ. Reuersus Romam, tentus est ilico à Cæsare Maximiano: propterea quòd Artemiam Diocletiani filiam fecisset christianam, traditúsque est Carpasio iudici. Carpasius Maximiano cupiens placere, Cyriacum pice bulienti perfudit, ac in carcerem misit. Exactis diebus quatuor è uinculis productus, cum sacrificia sperneret, catasta extentus, neruis ac fustibus cæsus est. Cæterum cum omnia quæcunque cruciamẽta gratijs intentum agendis, libenter Cyriacum subire, Maximianus accepit: iugulari cum sodalibus Largo & Smaragdo, alijsque uiginti uno intra Salustij thermas præcepit.

Thermas) De thermis diximus in Praxede. *Catasta*) Machina lignea, qua vincti tenenter, & etiam torquentur, dequa iam meminimus.

LAVRENTIVS.

LAurentius Romanæ ecclesiæ archidiaconus, genere Hispanus, Sixti Romani pontificis discipulus fuit. A quo leuita factus, sacrísque concionibus præpositus, martyrio est etiã destinatus. Philippo siquidem imperatore, qui primus ex Cæsaribus Christum agnouit, á Decio Cæsare per scelus occiso: Philippus iunior eundem uitæ exitum sperans, paternos thesauros Sixto cõmendauit ut si quid sibi per fraudem Decij accideret, in pauperes illos expenderet ac erogaret. Decius à senatu dictus imperator, duram in christianos insectationem statim exercuit: Philippum iuniorem occidit: Sixtum pontificem huius nominis secundum, & quòd christianus, & quòd Philippi thesauros non reuelabat, morte damnauit. Quem Laurentius, cum duceretur ad uictimam, interrogabat: quò pater sine filio? quò sacerdos sine ministro graderis? Cui Sixtus, non te desero fili: maiora tibi pro Christo certamina manent: post triduum me sequeris. Interim si quid tibi thesauri est, pauperibus exhibe, dona, distribue. Hæc milites accipientes, correptũ Laurentium ad Cæsarem pertrahunt. Quærit de thesauris Decius Cæsar: Laurentius nihil respondet. Quare cruciãdus Valerio Præfecto traditur. Valerius custodiam eius Hippolyto mãdat. Hippolytus ut thesauros proferat cohortatur. Laurentius uitam perennem, reconditósque thesauros Hippolyto promittit, si Christo credat. Fit Hippolytus cum omni familia Christianus. Laurentius ad Valerium reductus, inducias ad proferendos thesauros petit: & colligit undecunque cæcos, claudos, maléque affectos, quos potest: atque Decio sistit, hæc, inquiens turba, thesauros in cælum subexit. Decius se derisum intelligens, Laurentium in Tyberinum palatium ductum, fustibus cædi, laminísque ardentibus exuri præcepit. Quæ cruciamenta cum Laurentius contemneret, plumbatis cæditur, catastáque deinde extensus, scorpionibus uerberatur. Denique cum magiæ. Decius ascriberet tolerantiam tormentorum, ad thermas

olym-

olympiades trahi iuſſit noctu Laurentium: & cum interminaretur, ni mox deos adoraret omnia tormentorum genera illū ea nocte certo certius ſubiturum: retulit Laurentius: nox igitur hæc nihil profectò tenebrarum habebit: ſed luce mihi lucidior inclareſcet. Itaque cum cætera fruſtra intenderentur ſupplicia, crates ferrea eſt allata, deſuperque Laurentius protentus. Torrebatur igne ſuppoſito: & recreari ſe illo incēdio prædicabat. Iam unum erat latus exuſtum, & uerſus ad decium Laurentius omnino moribundus: gyra corpus hoc, inquit, & manduca: abunde pars hæ toſta eſt. Ita propoſiti ſancti tenax, in tanto illo cruciatu Laurentius expirauit: tumulatúſque eſt ab Hippolyto uia Tyburtina.

Ad victimam) Ad mortem tanquam victima. Eſt victima omne animal, quod deo immolatur. *Decio ſiſtit*) Ante Decium cōſtituit, & præſentauit. *Scorpionibus*) Scorpio genus eſt tormenti, flagellum etiam virgarum habens in ſummitate plumbeas glandes. *Magiæ*) Incantationi. *Thermas olympiades*) Quæ Romę erant in aſcenſu Viminalis non longe à templo ſancti Vitalis. *Intenderentur*) Explicarentur, & inferrentur. *Via Tyburtina*) Tot viæ Romæ erant quot portæ, & ab ijs plerùmque ſortiebantur nomina, à quibus fuerant ſtrata.

CLARA.

Aſiſij nobilibus orta natabilibus Clara, primis ab annis Chriſto dedita uirginitatem uouit. Adhærens poſtea ciui ſuo Franciſco, ſic ab eo inſtituta fuit: ſic mundum contemnere docta, ut præ diui Franciſci obſeruatione cuncta claræ ſordeſcerent. Non ſatis ei fuit ſimplex natiui coloris indumentum, uitæque genus auſterum, atque omnium rerum egeſtatē à Frāciſco mutuatam fuiſſe: eandem inter fœminas obſeruationē ualere uoluit, legéſque nouas dedit, & uirginalem quandam rempublicam conſtituit. Innocentius tertius ex diui Franciſci ſententia uirginalem cœtum conuiuentiámque, qualē Clara præſcripſerat, confirmauit ratámque fecit. Præfuit diua Clara ſuo

pie doctéque instituto collegio annos multos, ad finem scilicet uitæ ultimum:qui contigit ei certe fœlicißimus:Gregorio no no,frequentißimóq; Cardinalium senatu aßistentibus.Miracu lis etiam Clara paßim effulsit.Cum certo die solus unus panis in monasterio reperiretur,uel incuria ministrorum, uel deo sic disponente,ut locus esset miraculo:dimidiam eius partem, ne consuetudo intermitteretur,pauperibus Clara dilargita est, altera quadraginta uirginibus satis abunde fecit.Item cœnobium, Asisio capto, saracenos inuadente,ad ianuam Clara sustinuit,& pedem referre coegit:urbe quinetiam sine maleficio excedere quasi diuino quodam imperio compulit,sed operis esset immensi eiusmodi singula persequi.

Asisij) Asisium oppidum Italiæ. *Natiui coloris*) Proprij & naturalis,nulla adhibita arte. *Saraceni*)Populi sunt Arabiç fœlicis.

HIPPOLYTVS.

Hippolytus,apud quem iussu Valerij diuus Laurentius in custodia tenebatur, postquam cæcos uidit à Laurentio signo crucis illuminari,statim credidit: & cum omni familia baptizatus est.Quem à funere Laurentij reuersum, parantémque cum familiaribus Christi corpus sacrosanctum sumere:irrumpentes milites comprehenderunt:& ad Decium uinctum perduxerunt. Quærebat ex eo Decius,an magus esset, quando cadauer Laurentij tantopere sepeliendum curasset: cui Hippolytus christianum se,non utique magum esse,respondit.Iratus Decius,os eius imperat lapidibus tundi:& perseuerantem,ad exemplum Laurentij confici uelle,dicere, fustibus ferreisque chordis laniari.Sed cum hac uia parum procederet,quod machinabatur Decius,uestibus christiani ritus exutum,sago indui militari præcepit:inuitans ad militiam,pristinósque militares usus.Ille cum militare se Christo diceret,traditus est Valerio præfecto,qui bona eius occuparet,& tormētis uel uinceret,uel è medio tolleret. Valerius, tormenta tam in domi-

in dominum, quam in seruos expertus, nihil ualere, extra portam Tyburtinam famulos omnemque familiam iubet corā domino trucidari: Hippolytum ipsum furentibus ab equis distrahi. Funera cunctorū Iustinus quidam presbyter procurauit.

A funere) Ab exequijs. *Et perseuerantem*) Ordo est, & imperat, perseuerantem dicere, se velle cōfici ad exemplum Laurentij, laniari fustibus & chordis ferreis.

BERNARDVS.

Bernardus inter Burgundios nobili familia ortus, patrem Telecinum, matrēmque Aleth summe coluit. Annum agēs uicesimum secundum cum tribus germanis fratribus, & alijs triginta insigni pietate uiris in Cistercienſi monasterio paucos ante annos inchoato, sacrum cucullum induit. Vbi tantum erudi tionis sanctitatisque nomen adeptus est, ut Clareuallensis abbas sit inde creatus. Quem locum Robertus uir illustris non multo etiam prius magnifice substruxerat. Mira fuit Bernardi pietas, mira continentia, maximus rerum omnium contemptus. Stupenda etiam miracula fecisse, scriptores eius uitæ commemorant, morbos quoscunque nutu, uerbo, tactu sanabat: dæmones malos depellebat. Preces ad hæc & uigilias frequentabat: magnum totius uirtutis ac integritatis exemplar suis sodalibus erat. Patrem ad monasterium traxit: sororem, quam unicam habebat, longa suasione conuicit, ut non refragante marito, monachatum profiterentur. Tandem post centum & septuaginta monasteria à se mirifice per orbem constructa, mortuus est: patientiam uerāmque humilitatem suis legans contubernalibus, atque posteris pijs studiorum præclara monumenta. Nam & uolumina quamplurima edidit, quæ non paruam christianæ pietati lucem afferunt.

Burgundios) Burgundia prouincia est Galliæ. *Cistercienſi monasterio*) Cistercium oppidum Burgundiæ. *Sacrum cucullum*) Vestem monasticam. *Suis legans*) Testamento relinquens.

BARTHOLOMAEVS APOSTOLVS.

*B*Artholomæum apostolum nepotem fuisse regis Syriæ, cui nulli erant liberi, auditisque Christi uirtutibus, ad apostolatum sub conditione, ut purpura liceret uti, uenisse, quidam authores sunt. Hoc tamen constat. Post ascensionem Christi, profectis in suas prouincias apostolis, Licaoniam primum, & in inferiorem indiam Bartholomæum uenisse: tum ad urbem Albanem. Vbi templum ingressus, in quo idolum Astaroth simulans sanare, quos ipse uexabat, miseris mortalibus imponebat, loquendi malo genio sanandique usum ademit. Ciues nouo sui dei silentio conterriti, ac stupefacti, in proximam ciuitatē, ad idolum Berith sciscitatum miseré, quænam conticendi fuerit causa astaroth. Quibus responsum dedit Berith, igneis tene ri uictum catenis Astaroth à Bartholomæo Christi discipulo, qui paulò fuerit ante, eorum urbem ingressus. Quærentibus, quis ille Bartholomæus, qua nota posset internosci: signa oris, ac cultus omnia descripsit Berith: rogauitque simul legatos, ut si forte uirum inuenirent, precibus cum eo agerēt: ne in ipsum sicut in fratrem ac sodalem sæuiret. Triduo Bartholomæus est quæsitus, non tamen inuentus: quoad dæmoniacus quidam cæpit ad prætereuntem apostolum clamare, eius se causa torqueri ac inflammari. Quem Bartholomæus, indicto silentio, mox in columem reddidit. Polemius rex eius ciuitatis, audito miraculi præconio, uocari iussit apostolum: quem rogauit, ut filiam lunaticam sanaret. Apostolus deductus ad uirginem: soluite, in quit, reijcite catenas: ponite metum: grauioribus iam tenetur uinculis, qui rabidos in morsus eam agebat. Rex ut filiam uidit sanitati redditam, camelos auro et argento graues, ac onustos ad apostolum misit: Ille fugitans, qui munera deferebant, intra regium se cubiculum dedit: & regi sine arbitris inuento, non se temporalia quærere, dixit: sed salutem animarum negotiari. Deinde cū de Christo multa prædixisset, adiecit: si cre

dis & baptizari non dedignaris, craſtino tibi die ligatum catenis tuum deum oſtendam. Sequenti die ſacrificantibus regis imperio ſacerdotibus, idolum dixit Aſtaroth, non eos certe litaturos, quòd ipſe in uinculis eſſet: & cum dicto corruens, alia cuncta confregit idola. Apoſtolus diabolum, qui in idolo loquebatur, ferreis reuinctũ catenis turbæ uidendum teterrima forma protulit: ac in deſertum ire coegit. Rex miratus apoſtolicam uirtutem, cum coniuge ac liberis innumeraque plebe baptizatus eſt. Pontifices templorum tantam deorum ſuorum culturæ dolentes iniuſtam ignominiam, ad Aſtiagem confinis ciuitatis regem Polemij fratrem contenderunt: deos exterminatos lamentantur: religionem magicis technis ſublatam: regem ſuũ deceptum, queruntur. Aſtiages religionis iacturam, fratriſque dementiam (ſic aiebat) ægreferens, milites miſit, qui apoſtolum uinctum, maleque affectum ad ſe traherent, Bartholomeus regi aſsiſtens, cum interrogaretur, cur Polemium defraudaſſet. Non, inquit, decepi: ſed in uiam, quæ ducit ad cælos, reduxi. Cõminabatur Aſtiages ui coacturum dijs libare, et Chriſtũ abnegare: cum ecce nuncius irrupit, clamitans, deum Balach concidiſſe totumque in puluerem abiiſſe, quod regẽ adeo exterruit, ac in furorem egit, ut ſciſsis ueſtimentis, edixerit: fuſtibus apoſtolum cum primis cædi: mox ſublatum in crucem, uiuũ excoriari. Nudatus uero pelle Bartholomæus, prædicationem Chriſti non intermiſit: multos ad chriſtianam pietatem cum omnium ſtupore traduxit. Rex quamuis attonitus erat miraculis, ueritus tamen ne omnes dederentur Chriſto, caput amputari Bartholomæo iuſsit. Duodecim populi, qui apoſtolicam imbiberant doctrinam, ad Polemium regem conuenere: iuſta diuo Bartholomæo magnifice fecere, baſilicam in eius memoriam erexere. Cæterum ethnici magnum fieri concurſum ad apoſtoli tumulum poſtea cernẽtes, corpus foſſa extraxere: plumbeoque loculo inditum, in mare proiecere. Quod huc & illuc cœleſti permiſſu iactantibus undis, ad Liparam inſulam delatum, honorifi-

honorifice à christianis sepultum est. Post annos circiter tercentum, saracenis insulam deuastantibus, reliquiæ cælitus sunt repertæ, & Benauentum in Italiam translatæ: unde Romam delatas, fama est.

Licaonia) Regio Asiæ contermina Galatiæ. *Malo genio*) Diabolo Astaroth. *Lunaticam*) Furentem Morboque lunatico laborantem. *Eam agebat*) Propellebat. *Inustam ignominiam*) Inuri dicitur ignominia, quæ nunquam videtur posse deleri, veluti nota, quæ candenti ignitoque ferro fit. *Magicis technis*) Artibus magorum. *Iusta*) Iusta sunt sacrificia, quæ mortuis impenduntur, quòd iure fiunt benemeritis de nobis aut patria.

GENESII DVO.

GEnesius Arelatensis, qui cum iudicibus ad tribunal scriba sedebat, uidens in christianos impia pronunciari edicta, noluit ea, proiectis tabulis, excipere: seque christianum professus est. Iudex subitam hominis mutationē demiratus: quid agis, inquit Genesi? iussa principum inania ducis? Sunt, retulit Genesius iniqua, sunt impia, sunt omnis flagicij plena. Iudex teneri iußit, si forte seorsum quæsitus, mutaret animum. Genesius tamen quamuis spiritu promptus, ab humanitate tamen omnino non alienus: iudicis declinans primum furorem, fugam relicta urbe capeßit. Cumque intellexit, missos, qui occiderēt. Rhodanum petijt: & unda se fluminis perluens, in alteram ripam baptizatus tranauit: ubi à satellitibus occisus est.

GEnesius alter Romæ apud Diocletianum imperatorem mimorum infamen artem exercebat: christianorum patientiam deridebat: ritus ac ceremonias per iocum agens, deludebat. Sed tandem cum mente tota concepisset Christum, quasi ludibundus ante Diocletianum baptizatus est: uersusque ad imperatorem risu diffluentem: non mimica, inquit, petulātia christianos insulto: sed Christum eiusq; dogma ex animo sector ac diligo. Inuectus tum in deos gentium, futiles nulliusque momenti prædicabat. Dioclecianus qui à principio sermonis credide

rat, mimum agere: postquam intellexit, ex corde dicere, fustibus imperat cædi: & in carcerem trudi. Sequenti die traditus est Plutiano *præfecto: qui uel ad immolandum compelleret, uel interficeret.* Præ*fectus in eculeum leuari, & lampadibus exuri, præcepit: sed cum in ipsis Christum tormentis inuocaret,* Diocletiani *tandem iussu necatus est,*

Arelatenses) Populi sunt Galliæ. *Mimorum infamem artem*) Mimi dicuntur effictores, qui gesticulationes exercent, imitanturque dicta, facta, & mores hominum & naturas.

VICTOR CERASIENSIS ATQVE VICTOR ET CORONA.

Victor in oppido Cераſo Burgensis *ditionis natus, postquã sacras sufficienter literas calluit, & in sacerdotalibus ministerijs aliquandiu se exercuit, cupiens illecebras mundi declinare, in eremum* Ognæ *secessit: & septem perpetuos annos inter spelæa ferarum, hymnis diuinisque laudibus intentus, peregit.* Eadem *tẽpestate, mauris* Hispaniam *fere totam possidentibus,* Cerasum *grandis ciuitas, ad christianos desciuerat: & septennio toto, quo* Victor *latuit, obsidionem maurorum tolerauerat.* Quare *uisus angelus adesse* Victori, *eiusmodi uocibus eum excitauit.* Eia *age* Victor, *rumpe moras, patria te uocat, ut lõga eam obsidione soluas. Septem iam annos mauri circunstant, muri nutant, oppidani commeatibus, post alia incommoda destituti, deditionem moliuntur.* Properatu *patriam liberabis, teque martyrio consignabis.* Venit Victor *Cerasum, uixque agnitus, tandem in maurorum castra penetrauit. Cum igitur mahumeticam* Victor *superstitionem in castris hostium insectando, quam plurimos adiunxisset Christo: & pios qui apostatauerãt, reduxisset,* Gaza *maurorum rex, unus ex septẽ, qui bellum illud gerebant, non passus ea fieri impune:* Victorem *capi, & ad se trahi præcipit.* Victor *primo statim occursu regem à lepræ morbo liberauit: & cum inuitaretur magnis*

promis

promißis ad deserendū Christum, in mahumeticam sectam inuectus est, rex bene quantumuis meriti Victoris proritatus au dacia, rapi iußit in carcerem: & ibi quòd nihilominus plebem acquireret magnam, tandem iugulari. Rogauit Victor lictores ac carnifices, ut cruci prius affigerent: quod illi tam fecere libenter, quā strenue. Triduo uiuus pependit in cruce, plurimos conuertendo: & miracula non uulgaria prorsus edendo. Nam & cuidā spuenti se, mortem ante redditum in urbem denunciauit, quæ mox subsequuta est. Sed tandē cruce demissus, caput uno ictu amputatum, manibus excepit: gestansque illud, uiā in oppidū Cerasum direxit. Ibi oppidanos truncato capite allo quutus, uacā pauxillo, quod solum supererat, saturatā frumento, dimitti per portam ciuitatis, persuasit. Quam hostes iaculis confecerunt: erumpensque triticū conspiciētes, diffisi uictoria, protinus abierunt. Victor designato loco, in quo erat sepeliendus: animam uinculis carnis absoluit, & ad æthera misit.

Victor alter in Syria sub Antonio Cæsare cū uerbera, eculeum, ungulas, ardentes laminas sustinuisset, Corona uirgo exclamauit, martyrem cohortādo, quòd duas uidere se diceret coronas, cælo labentes, alteram sibi, alteram ipsi Victori. Quare comprehensa, & ad duas hinc inde demissas arbores illigata, in duas partes secta est. Victor securi percussus.

Spelæa ferarum) Speluncas & latibula. *Benemeriti Victoris*) De ipso nimirum rege, quem lepra mundauerat.

AVGVSTINVS.

Diuus Aurelius Augustinus patre Patritio, matre Monyca in oppido Aphricæ Tagasta natus, liberalißimeque eruditus, adeo fuit acri & omniū diuinarū humanarumque rerū ingenio capaci: ut annos nondum natus uiginti, rhetoricem Carthagine docuerit, mathematicas artes, cæterasque philosophiæ partes per se multa legens, adeptus sit. Italiam tum inde petijt: & primo Romæ, deinde Mediolani docuit. Ambro-

sij prædicatione & hortatu manicheorum impietatem, quam ab initio probauerat, execratus, annos natus duo detriginta, ue lut alij uolunt duo & triginta, ad fidem orthodoxam conuersus est. Diuus eum Ambrosius *baptizauit, & in medio actu cã ticum exorsus.* Te deum laudamus, *subiecit* Aurelius, *te dominum confitemur: & sic diuino numine afflati, carmen alternis ambo uersibus peregere.* Fuit *post hæc* Augustinus *apud* Simplicianũ *uirum pium annum & amplius.* Inde Romam *reuersus,* Ostiam *descendit ubi matrem amisit: & mox in* Aphricã *transfretauit: uenditoque patrimonio, & pios in usus expensa pecunia, canonicos, quos uulgus regulares appellat, instituisse dicitur.* Nec *desunt qui affirment, eremitas ab eo fluxisse: nam uitæ partem in eremo, satis constat, egisse.* Creatus *est denique* Hipponensis *episcopus: & tenuit eam sedem annos quadraginta: quo tempore tam multa scripsit, ut mentitus credatur, qui omnia eius opera legisse, dicere sit ausus.* Centum *ab eo hæreticorum sectas oppugnatas tradunt.* Fato *tandem functus est, cælosque migrauit annos septem & septuaginta natus:* Vandalis Hipponem *tertio iam mense obsidentibus,* Theodosioque *iuniore romanis imperante.* Huius *nunquam satis laudati uiri sanctimoniam multi mortales æmulati, in eremum concessere: unde nomen eremitarum (ut diximus) emanasse creditum est.*

Carthagine) Ciuitate clarissima Aphricæ: imperij Romani æmula. *Canticum exorsus Te deum)* Canticum Te deum laudamus, tunc primum conditum fuit ab Ambrosio & Augustino, cum baptizabatur Augustinus. *Ostiam)* Ciuitatem Italiæ ad ostium Tyberis, vnde est Ostia nominata. *Hipponensis)* Hippo ciuitas, quæ regia dicitur in Aphrica.

DECOLLATIO IOANNIS BAPTISTAE.

HOdiernæ *solemnitatis quatuor fuisse causas, commemorant:* Ioannis *scilicet* Baptistæ *cædem, quã* Herodes *magni* Herodis *filius impie crudeliterq; perpetrauit.* Qui *cum uxo rem*

rem Herodiadem fratri Philippo ademisset, & connubio sibi iūxisset:non ferēs incestas illas nuptias, à Ioanne quotidie exe crari, in uincula coniecit. Haud tamen ausus interficere, quia populo Ioannes erat dilectus:pactus est cum Herodiade, quæ cædem prophetæ magnis precibus flagitabat, ut filia saltans in conuiuio, caput Ioannis peteret : quod ipse sacramento prius astrictus puellæ uota non irrita fore, necessario concedere uide retur. Fit Herodis natali die celebre conuiuium : saltat puella eleganter ad numerum:muneris fieri compotem exoptati, fla gitat. Iurat rex:uirgo petulans caput Ioannis petit. Mœstitudi nem simulat rex:sed proh scelus, caput Ioannis in disco mox traditur. Iosephus interfectū prophetam affirmat propterea quòd cum iudæos ad uirtutem cohortaretur, præciperétque ut in deum pietatem seruarent, per baptismum in unum coirent, fierétque ad eū populi magnus concursus:timuit Herodes, ne ex eo cœtu nouus motus existeret. Alteram causam afferunt, quòd Iuliano Cæsare imperante, diui Ioānis ossa, quæ apud Se bastem Palestinæ ciuitatem condita erant, ne miracula, Chri-stianorúmque conuentus ibi fierent, cremata ac dißipata sunt. Quorum pleráq; à monachis Hierosolymitanis collecta, & ad Philippum episcopum delata, tandem Anastasio Alexandrino episcopo donata, summo in honore fuere. Præterea caput san-cti Ioannis, quod Herodes ueritus, ne corpori iūgeretur, apud se tumulauit: Martiniani principis tēporibus cælitus reuelatū est. Ad hæc digitum indicē nostræ redemptionis, quem intactū ab igne monachi supra memorati summa cura seruarūt, in re gionem, quæ Romania dicitur, hoc ipso die à Thecla transla-tum, templóque conspicuo honestatum, quidam autores sunt.

Indicem nostræ redemptionis) Index erat digitus, hoc est pollici proximus, qui Christum indicauit, cum Ioannes dixit: Ecce ag nus dei, ecce qui tolit peccata mundi.

AEGIDIVS.

Aegidius Athenienſis regij uir ſanguinis, patre Theodoſio, matre Pelagia genitus, ab annis primis literis ſacris deditus, ſigna ſemper haud obſcura diuinitatis expreſsit. Ibat puer in eccleſiam de more, & mendicanti cuidam ægroto tunicam, nihil habens aliud quod largiretur, porrexit, qua mox ille & conualuit, & ueſte diues domum diceſsit. Defunctis parentibus, & omnium facultatum Chriſto hærede conſtituto, miraculis per reliquam ætatem inclaruit. Virum à ſerpente per cuſſum integritati reddidit, dæmoniacum à malo genio liberauit. Cúmque per totam Græciam uirtutis eius fama uolaret, cupiens uitare popularis auræ fauorem: nauem conſcendit, & Arelatem peruenit. Vbi biennio cum Cæſareo epiſcopo, quem à febribus primo ſtatim occurſu uindicauit, commoratus, tandem in eremum trans Rhodanum perrexit: & inde non multo poſt in interiorem ſolitudinem ad oſtiũ Rhodani. Ibi haud ſine mente dei cerua oblata, lac ad uictum ei quotidie dabat. Hanc tamen, cum regij uenatores perſequerentur refugientẽ ad Aegidium, canes ueneratí ſunt, retróque ceſſere. Rem prodigioſam admirati uenatores, regi nunciarunt. Rex ſuſpicatus id quod erat, cum epiſcopo & uenatorio apparatu uenit. Conſequutúſque ceruam, ad Aegidium peruenit, qui omnem uitæ curſum ac inſtitutum interrogatus, explicuit. Multis tunc et ſæpe alias donis inuitatus abs rege, euinci non potuit Aegidius, ut eremum relinqueret. Verum rex ad poſtremum cõſtructo celebri monaſterio, renuentem ac tergiuerſantem Aegidium abbatem ei conſtituit. Cui muneri maximam quidem curã impendit, & ad ſacerdotis honorem prouectus eſt. Carolus poſtea rex audita uiri fama magnis precibus euicit, ut ueniret ad ſe: cui non cuſus, cum cætera confiteretur, enorme commiſſum fateri: faciens tamen imperata, ueniam promeruit. Poſt hæc Reuernẽſis principis filium ad uitã reuocauit: & cũ alia, ſi ua caret, non indigna relatu, miracula multa edidiſſet, mortis diẽ præcinuit: & depoſito corpore ad cælos commigrauit.

Regij

Regij vir sanguinis) Erat enim stirpe regia prognatus. *Signa diuinitatis expressit)* Hoc est signa virtutis & sanctimoniæ manifestauit, clarißimáque reddidit. *Popularis auræ)* Plausus & quasi afflatus popularis. *Arelatem)* Ciuitatem Galliæ Narbonensis.

ANTONIVS.

ANtonius Apamiæ quæ est oppidum Galliæ, illustres habuit parentes, ethnicos tamen. Inter quos ipse uelut inter spinas lilium, uirtutum omnium emicans indole, pueritiam cæteròsque ætatis gradus christo dicauit. Diabolus eximias in eo uirtutes, & raram sanctimoniam sentiens adolescere, insidias tetendit: Theodoricum regem auunculum in nepotem armauit. Antonius uitabundus cupiens cum uiris uere pijs colloqui, ac uersari, Romam uersus iter intendit. In uia cum nimiũ siti laboraret, & nusquam esse unde aquam hauriret: soliũ uirga percußit, & large scaturientem aquam elicuit: qua refotus ipse, & quamplurimi sunt reparati. Salerni, & circũ locis aliquot commoratus aliquantisper: tandem Apamiam inde rediÿt. Vbi ethnicos & impietatis arguit: & mortem suam appropinquare, christianis asseruit. Mox profectus ad ædes sacras uidẽdas cum uiris summe pijs, diuertensque paululum à uia, trucidatus est ab impia turba montis ad radicem, qui Apamiæ imminet. Corpus in frustra sectum in flumen est demersum. Concurrentibus tamen ad extrahendum christianis, unda stetit, & sanguis in aqua summa congelatus apparuit. Caput ab angelis aduerso flumine nauicula uectum, Festus princeps, quem Antonius fecerat orthodoxum, excepit: & regiam suam ab alto monitus, & capiti & copori consecrauit.

Virtutum omnium emicans indole) Præstantiæ. *Vitabundus)* Qui vitare studebat regis inuidiam atque furorem. *Scaturientem aquam)* Vbertim manantem & erumpentem. *Elicuit)* Eduxit, ex traxit. *Salernum)* Oppidum Italiæ. *In aqua summa)* Ita dicimus in ima aqua, pro in fundo aquæ.

LODOVICVS REX FRANCORVM.

LOdouicus rex Francorum mortuo Lodouico patre, sub tutela matris Blanchæ, filiæ regis Castellæ liberaliter ac sancte nutritus, ac institutus est: eius erudiendi cura prædicatoribus ac minoritis quibusdam, insigni pietate uiris mandata. Vxorem duxit, ex qua liberos suscepit, sed cilicio nihilominus quã occultissimo utebatur. Ducentis quotidie pauperibus ipse suis manibus uictum porrigebat: tres maxime egestosos ad mẽsam semper adhibebat. Ardens tamen ingenti cupiditate Hierosolymas ab ethnica seruitute uindicandi, magnas eò copias traduxit. Vrbes aliquot ægyptias primo impetu cepit: sed ipse postremo captus, redditis quas expugnauerat urbibus, paruo se ære redemit. Consumptis itaque in augenda religione christiana, sacris ædibus construendis, captiuis redimẽdis apud syrios annis quinque, de obitu matris sollicitus Galliam repetiuit. Vbi diuinis rebus intentus, sanctitatis præcipue nomen ac famam adeptus est. Sacellum affabre construxit in regia, in quo Christi coronam ac lanceam, crucisque partem locauit. Exercitum iterum in hostes christiani nominis duxit: & oram Aphricæ inuasit. Ad Thynissam urbem habuit prima statiua: leuiáque tentans prælia, omnem adiacentem regionem paulatim occupauit. Morbo tamen correptus in ipso ardore belli perijt: uir certe uel ob id maxime suspiciendus, quòd nullum letale commissum in uita contraxisse, memoratur. Corpus in Galliam relatum, Parisijs apud sanctum Dionisium sepultum est.

Cilicium) Vestis interior nimirum subucula ex villis caprarũ confecta, qua viri sancti vtebantur ad macerandam carnem.

MARCELLVS.

CVm uiri circiter quinquaginta christiani Antonio imperante, Lugduni uincti tenerentur, duo Marcellus & Valerianus uocibus exciti cœlestibus, catenisq; soluti, diuersas regiones:

giones: Marcellus in Sequanos, Valerianus in Heduos petierunt. Marcellus Cabyllinum ingressus, a præside Prisco inuitatus est ad epulum solemne deorum. Sed ille respuit, & impias dapes execratus, deorum cultores duris uerbis insectatus est. Quare præses correptum, arborique membratim illigatum, flagellis cædi, multifariámque torqueri præcepit. Sed cum cõstantißime fateretur Christum, nihil facere tormenta præ ueræ pietatis amore demonstrans, sæuiori ali cruciatui adhibitus est. Demersus quippe fossæ, brachijs solum extantibus & capite, terra obruitur. Et sic triduo perseuerans in asserendo dogmate Christi, tandem spiritum reddidit.

Lugdunum) oppidum Galliæ. *Sequani & Hedui*) Populi Galliæ. *Extantibus*) Apparentibus.

EVVRTIVS.

CVm apud Aurelium post mortem sancti Deuisiani episcopi de successore subrogando, esset coorta seditio, diuersæque factiones ad arma & cædes prorupissent: Constantinus imperator Porphyrium præfectum misit ad tumultum sedandum. Qui uocatis Galliæ præsulibus, dierúmque trium indicto ieiunio, electionem à deo censuit flagitandum. Illis forte die bus Euurtius ecclesiæ romanæ hypodiaconus, germanos duos fratres suos, qui captiui in Gallia tenebantur, quæritans, in eã urbem diuerterat. Cũque ad ecclesiam mane uenisset, quo more humani ingenij, seditionis causam cognosceret: ecce columba cælo prolapsa, capiti eius insedit, & in cælos extẽplo reuolauit. Stupidi omnes tanto miraculo, inter episcopos Euurtiũ collocarunt: & columbam iterum descendentem capitique insidentem conspexerunt. Eo pacto Euurtius diuinitus creatus episcopus, quamplurimis postea inclaruit miraculis. Nam & urbis incensæ flammas ualidißimas precibus restinxit, ecclesiam ædificauit: in cuius altari dum ipse primus sacris operatur, manus uisa est hostiam superne benedicentis: quare septẽ

millia hominum Christo dedita sunt: Fratres casu deinde repertos redemit: & cum horam mortis præcinuisset, nominato successore, decessit.

Aurelium) Ciuitas Galliæ. *Hyppodiaconus*) Vulgo subdiaconus.

EXALTATIO SANCTAE CRVCIS.

COsdras persarum rex prouincias romanas, imperatore Phoca bello punico occupato, subita ui armorum adortus, Mesopotamiā omnem subegit: Hierosolymas *cœpit: sacra in eis & prophana diripuit: lignum dominicæ crucis à Caluariæ loco, ubi* Helena *constituerat, abstulit: & in* Persidem *secū deportauit. In uno tamen Cosdras uictoriam temperauit, quòd lignū crucis in* Persidem *delatum, in throno aureo gemmisque fabrefacto statuit: cuius extrema superficies in similitudinē cœli circūagebatur.* Heraclius *post* Phocam *imperio potitus, arma mouit in Cosdram: multis cū cladibus affecit, castris exuit, præclaros illi duces interfecit. Tandem totis utriúsque uiribus imperij ambo conflixere. In qua quidem pugna Cosdras debellatus est, uiuúsque captus, & paulo post occisus: regno filio natu maiori, quem pater in gratiam minoris abdicauerat, tradito. Fœdus tamen est ictum, ut inter utrúmque imperium pax esset, crux dominica restitueretur.* Recepta *est igitur crux quartodecimo anno, postquam barbari abstulerunt eam, ab* Heraclio: *qui pacata* Arabia Hierosolimas *rediens, cum crucem humeris ferret, ut destinato loco reponeret: cælitus ab ingressu prohibitus est, portis ciuitatis sua sponte clausis.* Hæsitauit *paulisper* Heraclius *deprecabundus tanto prodigio: & ecce angelum supra portam crucem manu tenentem, hisque uocibus cōpellantē prospexit. Haud utique Christus triūphali splēdicans cultu hanc moriturus portam intrauit, sed nudis pedibus, uili sedens asello, suis humilitatē ubique commendans.* Perterritus *his uerbis* Heraclius, *ac in religionē uersus multis cū*

lachrymis

lachrymis uestes proiecit,ac uiliores induit:crucem supplex accepit:& urbi,portis ultro se pandentibus,intulit,ac loco, quo fuerat sublata,reposuit. Q*uod pium utique factum miracula continuo subsequuta sunt:mortuus erigitur,paralytici quatuor curantur,decem leprosi mundantur,quindecim cæci illuminãtur,quamplurimi uarijs languoribus uindicãtur.*

Victoriam temperauit) Ne omnino videretur impius. *In similitudinem cæli*) Quo magis populus admiraretur,et in stuporem verteretur,machinam simul & thronum confecit Cosdras, qui veluti cælum circumagebatur,nõ apparẽte motore,vbi se deũ simulabat & adorari volebat. *Castris exuit*) Non solum profligauit,sed castris & omni bellico instrumento potitus est. *Viribus vtriusque imperij*) Romani & Persici. *Debellatus*) Omnino vi ctus & captus *Fœdus ictum*) Factum,porca enim de more antiquo feriebatur,in faciendo fœdere. *Cultu triumphali*) Superbo & splendido,qualem triumphantes ferre solent.

EVPHEMIA.

*E*Vphemia Philophronis senatoris & theodoræ filia,in urbe Calcedonia pietate,Diocletiano imperatore, claruit. Quæ cum quadraginta nouem christianis proconsuli Prisco tradita,cum blande appellaretur,ac cohortaretur, ut dignitatem maiorum non dehonestaret, Marti propitio deo immolaret,ab institutis patrijs non discederet:nullum responsum reddidit:sed signans pectus,nullis moueri terroribus,innuit. Priscus contemni se uidens,tormentis uindicandum censuit. Nam postquam uerbera & rotas,postquam sartagines ignitas, uirgarum plagas,fornaces ardentes signo crucis Euphemia superauit:leonibus & ursis in arena exposita est. Illi tamen feritatis obliti cauda alludebant:uestibus oscula dabant:donec Euphemia solui se uinculis carnis, precibus instans:ab ursa leui morsu petita, expirauit. Sosthenes & Victor, qui Christum crediderant Deum:eo quòd angelorum agmen circumuolitare,aiebant uidisse, cum intra fornacem Euphemia non

pre-

præstringebatur à flamma,multis cruciatibus necati sunt.Lucia & Germinianus hoc ipso die Romæ à Diocletiano multis tormentorum generibus affecti:cruciatibúsque uarijs agitati,martyrium pertulere.

(*Chalcedonia*) Regio Asiæ in qua vrbs est Calcedon.(*Innuit*) Signis & nutibus ostendit. (*Vindicadum*) Vt vindicaretur.(*In arena*) Arena locus spectaculorum,& præsertim pugnæ gladiatoriæ. (*Leui morsu petita*) Leuiter dentibus apprehensa. (*Agitati*) Male affecti,martyrium,etsi testimonium interpretatur, Christiani tamen non omnino recedentes à proprietate vocabuli pro cruciatu & vltimo supplicio sumunt.

SALVIVS.

SAluius quanquam iuuenis mundi se fluctibus immersit,nullis tamen uitijs,(ut assolet illa ætas)corruptus est.Increbescente iam uirtutis in dies sanctimoniæque indole,relicto prophano habitu,monachorum institutum cõplexus est.Fuit quidem solitudinis tam studiosus,tam seuerißimus anachoretarũ legum ac disciplinæ obseruator:ut abbate mortuo,cunctorum suffragio sit abbas ipse renuntiatus. Verum enimuero quãuis omnes honore præcellebat,omnibus tamen se ducens inferiorem,ultimam longéque remotam cellam delegit:ut sine interpellatoribus præcationibus ac lectioni quandoque uacaret.Nõ ualuit tamen diu ferre munus negotiosum, in quo sibi non liceret esse solo:quare salutatis fratribus,abbatia se abdicauit.Semotus à negocijs,quodam die febricitare cæpit,fessósque anhelitus trahere:cum magna subito coorta luce,cellula cõtremuit: & uir pius tensis in cælum manibus expirauit. Concurrunt monachi:mater ipsius aduolat:corpus lauant:feretróque imponunt.Et ecce uitæ repente redditus,admiranda de fælicium uita prædicabat:in has se dolẽs tenebras remissum. Post hæc tã frequẽs fuit miraculis,ut episcopo Ambianẽsi mortuo,inuitus et omni nisu subterfugiens,in locum eius subrogatus sit. In qua quidem functione,ita pie uixit:sic boni pastoris omnes sapienter

ter partes egit:ut fœlicißima morte post annos aliquot iterum ad cœlos remigrarit. Sunt quidam non in celebres authores, qui Saluium à Vinegando nobili adolescente ob auariciã martyrio Valentianis affectum, affirment: quibus non est prorsus abroganda fides.

Indies) quotidie magis. *Indole*) Significatione. *Fessus anhelitus trahere*) Quales morti proximi solent. *Ambiani*)Populi Galliæ. *Subrogatus*) Substitutus. *Abroganda fides*) Deroganda omnino tollenda.

MAVRILIO.

Maurilio Mediolani claris ortus parentibus, turone diui Martini discipulus fuit. Deinde in aliqua cupiens solitudine solus agere: Andegauium uersus contendit. A qua non lõge distans urbe uilla erat Calouria nomine, & in ea phanum uenerandæ antiquitatis, sed idolis dicatum. Hoc precibus Maurilionis igni cœlesti consumptum solóque æquatum est. Phani ruinis Maurilio ecclesiam ædificauit: quam Martinus postea consecrauit. In ea bonam uitæ partem Maurilio diuinis intentus, transegit. Multa quoque miracula inibi operatus est: puerum uiperæ morsu pene exanimatum, reduxit ad uitam: demortuum quendam ac comploratum suscitauit. Tandem Martini persuasu Andegauensis episcopus creatus, dum à sancto Martino consecratur, columba cœlo delapsa, uertici insedit. Verũ post multa, cum Maurilioni perperam imputaretur, quòd sine baptismo puer decessisset: ad promerendam ueniam maria & terras tranauit. Demum post miranda quædam, quæ tam ipsi quam quærentibus ipsum contigére, reductus in sedem, puerum, cuius exulauerat causa, dicitur suscitasse, & nonagenarius uitam finisse: cũ desedisset in episcopatu annos triginta.

Turone)Turones populi Galliæ. *Andegauiũ*) etiã est in Gallia.

FEREOLVS.

QVo tempore furor ethnicus in christianos ubique gentiū desæuiebat, Crispinus quidam uir consularis apud Viennam ad sacrificia cunctos compellebat: & honores non recusantibus maximos deferebat. Comperto igitur, diuum Fereolū sub militari sago Christo deseruire, conditionem ei detulit Crispinus: ut deos aut cum primis coleret, sacrificiáque exhiberet, aut caput ensi feriendū submitteret. Fereolus heus, inquit, Chrispine, quamuis sub te tuisque Cæsaribus facio stipendia: ea tamen lege uestræ me militiæ astrinxi, ut in hostes ac rebelles, nō autē in christianos tenear dimicare. Operam tibi salua semper religione, præstiti: dijs tuis thura non dabo, quòd christianus sum, morique pro Christo præ cunctis excepto. Sic itaque pleno Christum ore fatenti, caput amputatum est.

Ethnicus) Gentilis. *Vienna*) Oppidum Galliæ. *Sagum*) Vestis militaris. *Facio stipendia*) Stipendium salarium est, quod militibus datur, & facere stipendia est, mereri sub aliquo duce.

CANDIDA.

APud Carthaginem Candida Gemesi cuiusdam filia, tredecimum agens annum, cū totius uirtutis sanctimoniæque specimen ac exemplar haberetur, Maximianum imperatorem fama nouæ pietatis exciuit, ut aduersus tam debiles annos furorem stringeret. Statim quippe Ebelasium quendam ex aulæ primoribus ea lege misit ad eam: ut ni pelliceret ad sacrificia, aut quoquomodo cogeret, ipse cæderetur ad mortem. Multa tentauit Ebelasius, non tamen ualuit Candidam à pia religione deflectere. Itaque cum apollinem & Aesculapium Candida derideret, quibus sacrificare cogebatur: iussa est decaluari, omnéque genus ferramentis excarnificari, quæ libenter ipsa pertulit, & percussores insultauit. Tradita est feris discerpenda: & illæ subito mansuefactæ comitabantur, & genibus quasi flexis adorabant. Quod maximo cum stupore cernens Ebelasius, Christum credidit saluatorem: & pedibus uirginis prouo-

prouolutus est. Eusebius item qui illi in præfectura successerat, ignem uidens martyribus admotum, uires amittere, tertiũ se duobus adiunxit. Qui tres simul inter flammas & cruciatus psallentes, Deúmque laudantes, expirarunt. Præclarißimã igitur uirginem Candidam toto mentis ardore inuocemus, eã summis precibus obtestemur, uti nos inter flammas quotidie uitiorũ pertinaciter diuersantes, suo misericors suffragio eri gat, & in tempore aquam suffundat: quatenus pœnitentia ducti, mores & uitam mutemus: & ad superas sedes post uitæ cursum commigremus.

Furorem stringeret) Gladius proprie stringitur, cum euaginatur, & ea forma furor stringitur cum emittitur, & foras prorumpit. *Decaluari)* Radi caluam fieri. *Excarnificari)* Discerpi. *Insultauit)* Irrisit.

MATTHAEVS APOSTOLVS.

Matthæus qui & Leui est appellatus, ex publicano aposto lus hebraicis literis in iudæa euangelium scripsit. Volénsque transire ad gentes, illud fratribus, quos relinquebat, in memoriam tradidit. In Aegypto primo uerbum euangelicum prædicauit, inde Aetiopiam adijt: ingressúsque urbem Natoober, in qua per id tempus Aegyppus quidam regnabat: in domum eunuchi Candacis reginæ, quem paulo ante Philippus dia conus baptizauerat, diuertit. Duo erãt in ea ciuitate magi Zaroes et Arphaxar, qui technis, magicísque præstigijs homines sic adeo dementabant: morbos quos uellent, ingerendo, rursus ac medicando, ut uice prope numinis colerentur. Apostolus non passus execrabiles impostores nesciæ plebi illudere, commenta, delusionésque retexit: & quod in hominibus male illi affecerant, ipse uerbo dei sanauit. Nam accitis undecũque ægrotis, medelam omnibus impartiuit. Quærente autem eunucho ab apostolo, quo pacto linguis tot loqueretur, respondit: primordio mundi, unam fuisse loquelam, quæ tur-

ris

ris babylonicæ constructione per septuaginta duas discrimina ta est: ac in die pentecostes Christi discipulos afflatu spiritus sancti linguarum omnium peritiam imbibisse. Etenim *sicuti cælos conscendere per turrim machinantes, confusione linguarũ ab incepto destitere: perinde ministros Christi cognitione linguarum turrim non lapideam sed uirtutibus claram ædificasse: qua cunctis ad cælos pateret ascensus. Cum hæc ab apostolo differuntur, ecce nunciatur, magos illos singulos perferre dracones, ignem ore ac naribus efflantes, cædésque passim ædentes.* Quibus Matthæus *signo crucis armatus, obuiam prodijt, omnibus per fenestras, & qua tuto poterant, prospectantibus. Cum ad apostolum uentum est, dracones reueriti uirum sanctum ad eius pedes obdormierũt.* Circulatores *conati sunt eos excitare: sed cũ frustra laborarent, apostolus dracones euocauit: & ut sine cuiusquam maleficio abscederent, imperauit: illi sine mora cicures abierunt.* Ad *hæc miracula contemplanda, cum frequens hominum turba concurrisset: cæpit* Matthæus *de terrestri paradiso uerba facere concionabundus.* Nimirum *quam ibi solida fœlicitas, quam uernans semper uiridarium.* Vbi *nulli tribuli, nullæ nocentes herbæ, sed rosæ fulgentes, fragrantiáque lilia conspicerentur.* Addebat *ad hæc, aues illic uersicolores melos sonare dulcifluum, angelos organa mire sonantia modulari.* Sed *ab amœnitate illa paradisiaca hominem propter peccatuum deturbatum, aiebat: & per Christi natalẽ ac supplicia, ad cælestem longéque meliorem reuocatum.* Hæc *eo sermocinante, lugentium clamor perculit aures, perstrepẽte tumultu.* Nam Euphron *filius regis mortuus efferebatur: quem suscitare magis non ualentibus & ob id relatum in deos regi persuadere conantibus, ad* Matthæum *eunuchi suadela cõcursum est.* Qui *confestim, exorato* Deo, *mortuum ad uitã reduxit.* Hoc *iam miraculo rex* Aegyppus *stupefactus, ac lætitia pene desipiens, per suæ ditionis prouincias edicto pronuntiauit, adesse sibi homines quam primum uniuersos, deum uisuros*

ros humanis artubus latitantes. Vix iam turbam capiebat ciuitas, cum apostolus honorem deo debitum subterfugiens, coronas à se aureas repulit: professus non se deum, sed Christi dei ministrum, cui deberetur gloria. Cumque de Christo eiusque dogmate non paucis ad innumerabilem illam multitudinem Matthæus perorasset, sexaginta millia hominum Christum uerum deum fuisse professa, memorantur, Rex etiam & regina cum filijs & familiaribus baptismate sacro sunt abluti. Sed præter cæteros Hiphigeniam regis filiam deo dicauit apostolus: & ducentis uirginibus præfecit. Porrò populis cunctis aurum & argentum deferentibus ad apostolum, ecclesia constructa est in memoriā resurrectionis Christi: in qua ipse postquā Aegyptum et Aethiopiam sub iugum Christi misit, annos tres & uiginti præfuit: diaconos ac presbyteros cōsecrauit. Aegyppo autem mortuo, filióque Euphrone fugato, Hirthacus regnū inuasit, ac ui tenuit. Qui mox in Hiphigeniæ pulchritudinem intendens animum, multa Matthæo pollicitus est, si regiam ei uirginem collocaret, maritaret, connubióque iungeret. Apostolus simulans id adornare, populum in ecclesiam conuocauit: et corā rege de commendatione matrimonij sermocinatus: tandē coronidem adiecit: nulli permissum, alterius uxorem ducere: cúmque Hiphigenia summi Dei sponsa dignosceretur, scelus ac plusquam sacrilegium fore, eam ducere, ac indebite attrectare. Quo dicto percitus ira Hirtachus abcessit, & mox carnificem misit, qui Matthæum ad aram, in qua tunc rem diuinam faceret, obtruncauit. Populus exceratus tyrannicum facinus ac immane, ad regiam incendendam prouolauit: sed à presbyteris ac diaconis cohibitus, ac retardatus, apostolicum funus pōpa celebri prosequutus est.

Ex publicano) Publicanos appellabant Romani, eos qui vectigalia curabant, & reditus populi Romani exigendos colligendósque pretio certo redimebant: dequibus Cicero sic inquit. Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamen

tum reipublicæ publicanorum ordine cõtinetur. *Diuertit*) Hospitatus est. *Technis*) artibus & fallacijs. *Præstigijs*) Incantationibus. *Dementabat*) Dementes faciebat. *Circulatores*) Circunforanei, qui præstigijs quibusdam magicis videntur deuorare gladios acutos, irritare serpentes, & alia id genus incredibilia. *Cicures*) Mansueti, *Concionabundus*) Veluti qui concionatur ad populum.

MAVRICIVS ET SOCII.

Cum Diocletianus & Maximianus per nonnullas romanæ ditionis prouincias edicta dimitterent, imperantes, delectus militum haberi, & Romam quam primum transmitti, ad coercendos cõprimendósq; hostes, æmulósque imperij: Thebæa ciuitas, quæ in finibus Arabiæ sita est, dicto parens: legionẽ sex mille sexcentis sexaginta sex militibus constantem Romam misit: interdicens ei, solum in christianos dimicaret. Præerat huic legioni Mauricius uir pius ac strenuus, minoréſque præfecturas gerebant in eadem legione Exuperius, Candidus, Innocentius, Victor, Vitalis, & Constantius. Venientes igitur Romam à Marcellino pontifice statim præstructi sunt, ut fidem Christi, quam domi, & inter suos summe coluerunt, foris inter ethnicos retinere constantißime perseuerent. Iam maximas Galliam uersus copias & hanc simul legionem Maximianus ducebat: Iam Alpes superauerat, & othodorum oppidum uenerat, cum sacrificare parans, omnem iubet exercitum conuenire, ut propiciatis dijs, in christianos unanimes coniurarent. Non tulit hanc uocem thebana legio, nec imperatoris dicto parere uoluit: quin septem milliaria discedens abs reliquo exercitu: in loco, quod Auganum dicitur, iuxta Rhodanũ flumen consedit. Vnde cum euocaretur, christianos se omnes profeßi sunt: nulloque dijs modo daturos libamina. Commotus Maximianus militum tam inopina rebellione, maiorem militum manum misit: qui ad sacrificandum compellerent, uel decimum quémque trucidarent. Atqui milites Christi à Mauricio

præstructi, ac cõfirmati, alius alium, cũ decimarentur, præire: sortemque subire martyrij properabant. Cumque semel decimati arma ponerent, & nihil se facere præ dogmate Christi iussa mináſque principis conclamarent: iterum decimantur: animante eos Exuperio, *& ad mortem uiriliter oppetendam cohortante. Postremo indignum ducẽs imperator, deos, se præsente, male audire, Christúmque laudibus celebrari: circundu-cto exercitu, thebanos milites partim ferro trucidauit, partim ungulis equorum contriuit.*

Decimum quemque trucidarent) Ita decimabantur interdum legiones, quæ seditiose concitabantur, in duces ac imperatores. *Ad mortem oppetendam*) Ad moriendum. Oppetere siue mortẽ addas, siue non, mori est.

THECLA.

APud Iconium ciuitatem Ciliciæ, Nerone romanis imperante, Thecla nobilibus orta natalibus, cum á Paulo fuisset apostolo instructa, abdicato sponso, uirginitatem uouit. Mater ad proconsulem rem detulit. Ille Theclam igni destinauit. Thecla cum in ignem coniecta nõ ureretur, & imber ingruẽs repentinus pyram extinxiſſet: incolumis in apostoli Pauli contubernium aufugit. Vbi plurimos christianos inuenit: qui sex continuos dies durauerant sine cibo, affliCtantes sese: Deñque pro ea deprecantes. Post aliquot deinde dies Syrus Alexander Theclam uinxit, & ad iudicem, quòd esset christiana, pertraxit. Iudex bestijs exponendam pronunciauit: & nobili interim matronæ Triphonæ custodiendam commiſit. Aderat constitutus dies: & ducta in arenam uirgo, leænæ dorso colligatur: nihil tamen bestia nocuit: quin diuino quasi instinctu defendit, ne leones, ursique famelici deuorarent. Conijcitur in foſſam serpentibus plenam: & ignea cum fragore nubes serpentes oppreſit. Ad tauros ferociſſimos illigatur: & so

lutis mox uinculis eripitur. Denique populo cum Triphona uociferante, magnum esse uerúmq; Deum, quem colerent christiani: perterritus iudex Theclam absoluit, liberéque abeundi potestatem fecit. Quam secum Triphona duxit, & filiam adoptauit. Multos ad fidem postea Thecla perduxit: & Seleuciæ tandem deceßit.

Abdicato sponso) Contempto & expulso. *Ad proconsulem*) pro consules erant, qui vice consulum, hoc est extraordinaria potestate mittebantur ad prouincias administrandas. *Igni destinauit*) Assignauit, pronuntiauit scilicet, vt cremaretur. *In arenam*) In locum arena constratum, vbi pugnabant gladiatores, & ponitur pro loco quocunque certaminis. *Seleuciæ*) Seleucia ciuitas Ciliciæ.

FIRMINVS.

F*Irminus Firmi senatoris filius Pōpelone Hispaniæ ciuitate natus, traditus est puer Honesto præsbytero erudiendus. Tantúmque breui in literis profecit, ut uixdum agens decimū octauum annum: sacras ad populum conciones uice magistri haberet. Nec addubitabat Honestus, iuuenem mittere per uicina oppida, quo latius uerbum euangelicum disseminaret. Erat certe tam efficax eius oratio, ut dies uix præteriret, in quo deo animas non lucrifaceret. Tandem nimios eius in prædicando Christum, profectus animaduertens Honestus: ad honoratum episcopum Tholosam misit: à quo est presbyter factus, & maioribus destinatus. Post aliquot uerò annos ad magistrum rediens: apud Andegauensium urbem multos conuertit: Beluacum deinde ueniens, ad mortem pene ob profeßionem Christi flagellatus est: ac in carcere durißime catenatus. Eductus tamen à cuncto populo, ibidem aliquandiu moras traxit, baptizando, ac ecclesias dedicando. Omnis quippe populus est baptizatus, Christúmque agnouit. Hinc Ambianum pertendit, ubi diebus quadraginta, tria millia hominum facta christiana sunt. Quare tentus à Longino & Sebastiano*

no præsidibus, in carcere, quo uitaretur popularis inuidia, iugulatus est.

Profectus) Vtilitates & commoda. *Maioribus destinatus*) Ad munera maioris momenti designatus. *Andegaui, Belnacenses, & Ambiani*) populi sunt Galliæ.

COSMAS ET DAMIANVS.

Cosmas & Damianus in ciuitate Aegæa, quæ est in Arabia, matrem habuere Theodoram piã religiosámque fœminam. Quæ bonis artibus filios erudiendos curauit: ipsi tamẽ medicinæ magis intenti, langores omnes non ab hominibus modo, sed & à iumentis propulsabant. Certe camelum diabolica techna debilitatum, incolumitati reddiderunt. Matrona paralytica, quæ censum omnem in medicos effuderat, ad pios fratres accesit, & sanitatem protinus reportauit. Cúmque munusculũ illa Damiano deferret, & ille accepturum negaret: adiuratus tandem per nomen Dei, precibus acquieuit, ne tantum sperner-re nomen uideretur. Quod ut ad aures Cosmæ peruenit, usque adeo mentem eius turbauit, ut nolle se cum Damiano fratre sepeliri, propalam denunciauerit. Ea tamen nocte Christus de suscepto munere Damianum expurgauit. Percrebescente iam eorum fama, Lysias præses accersendos curauit: à quibus nomina, patriam, conditionem, fortunam cum requireret: nomina dixerunt Cosmam & Damianum, Arabiam patriam, conditionem christianam, fortunam omnino christianis ignotam: esséque sibi tres consobrinos fratres eiusdem cõditionis ac fortis Antinum, Leontium, & Euprepium: quos illico iussit iudex adduci. Cum igitur Cosmas & Damianus cum tribus alijs sacrificia contemnerent, & tormenta cum derisu adirent: catenis illigati præcipitantur in mare, & ab angelo protinus educuntur. Quo miraculo præses attonitus, dum quid in eos statuat deliberabundus hæret, mitti in carcerem iubet. Sequenti die fratres igni traduntur, nihil nocet ignis. Lapidantur cruci

fixi,in iaculatores lapides retorquentur. Sagittantur, sagittarios missilia ipsa transfigunt. Lysias inter tot tantáque miracula inops consilij:tandem in eos gladio animaduertit.

Techna) Fraude & arte. *Precibus acquieuerit*) Assenserit. *Accersendos*) Conuocandos. *Haret*) Dubitat. *In eos gladio animaduertit*) Gladio puniuit.

DEDICATIO BASILICAE SANCTI MICHAELIS.

Ex Pontano sumpta est ad verbum hæc historia, eo recurrat qui plenius vult cognoscere.

EST in Gargano monte Appuliæ spelunca, durissimo ex saxo natiua, in quam multis descenditur gradibus. Hanc Michaeli archangelo fuisse dicatam, hoc modo memorant. *Garganus quidam ciuis Sipontinus, grande armẽtum in Gargano monte pascebat: à quo monte nomen & ipse traxit. Hic cum armentalem taurum, qui oberrauerat, per siluas cum pastoribus quæritaret: inuentum tandẽ ad speluncam, sagitta percitus ira petiuit. Sagitta summã tantum cutem præstringens retro est flexa: & ipsum sagittatorem percussit. Quam rem pastoribus in religionem uertentibus, Garganus ad probatæ fidei Laurentium antistitem detulit. Laurentius facti admiratione ductus, trium dierum ieiunio, multisque precibus Deum censuit, consulendum. Quo absoluto ieiunio, réque diuina rite peracta, dormienti Laurentio Michael angelorum princeps noctu astitisse uisus est, his admonens uerbis. Mea opera deique iussu factum est Laurenti, ut taurus index fuerit basilicæ, quam mihi ad habitandum cum hominibus in terris paraui. Hæc mea basilica erit, meum hoc apud mortales sacrarium. Enuntia hæc tuis ciuibus. Intelligant illi per te, in illa spelunca, in illis adytis aboliturum me mortalium peccata, qui confugerint ad ea. Hoc accepto oraculo, somno excitus antistes, gratias Deo egit, rẽ populo indicat, supplicationes indicit. Indutus denique pontificali amictu cum maxima ciuium frequentia mõtem cõscendit, speluncam adijt, rem diuinam peragit. Haud tamen ut*

quis antrũ ingredi ſid auſus.Gratijs Deo *actis, nominéque Mi chaelis per omnes diuinas laudes celebrato, Laurentius Sipon tum maxima ciuium lætitia,ingentique urbis uniuerſæ gaudio rediјt. Haud multos poſt dies* Neapolitanorum *exercitus Sipontum obſedit: Laurentius pontifex de populo nimium ſolicitus,trium dierum ieiunium indixit:tot enim dierum induciæ fuerant ab hoſte impetratæ. Aſtitit rurſus dormienti Michael,admonet,& piæ & rite factum, quod per ieiunium & preces auxilium à* Deo *implorauerint.* Iuſſu Dei *ſe Michaelem principem angelorum dicere,imperare,uti die ſequẽti de hora quarta populus omnis arma capiat:in hoſtem repente ir ruat;ſeipſum armatum in acie ciuibus adſuturum: populo exa perrectus denunciet,bonóque animo eſſe iubeat.* Hora *igitur dicta, armatus ciuis hoſtem negligentius agentem inuadit,fundit,fugátque.* Variæ *repente exoriuntur procellæ: fulmina è ſummo montis iugo terrifico impetu prorumpunt, adeo ut ui tempeſtatis ac fulgurum ſexcenti ex hoſtibus referantur exanimati.*Tum *ſacris* Deo *ſanctóque* Michaeli *magnifice factis, cum de dedicanda ſpelunca more chriſtiano* Gelaſium *ſumum pontificem Soracte tunc agentem,*Laurentius *conſuluiſſet: tertio* Michael *adſuit,dehortans à dedicatione ſpeluncæ: atque à re quapiam humano ritu peragenda. Sibi ſe ſua dextera,inquiens,montem humano cultu deſertum, aperuiſſe:in illo lapide ſua ueſtigia infixiſſe,ſacrariũ feciſſe,ædem ſtatuiſſe, baſilicam dedicaſſe, nolle humanam dedicationem in ea fieri. Se in eo excauato ſaxo, in eis aſsidue manantibus ſtillis deleturum mortalium errata: ſe ſuo antro adſuturum, ſe placatum propitiúmque futurum mortalibus,ad id ſacrarium confugientibus.*

Natiua) Naturalis:nulla arte aut induſtria hominum adhibita. *Grande armentum)* Grandia animalia dicuntur armenta, vt equi, boues & eiuſmodi, vnde armentalem taurum appellauit. *Percitus ira)* Commotus ira. *Sagitta petiuit)* Sagitta pe

tere, est aggressus. *In illis adytis*) Adyta sunt sacraria in templis, ad quæ nullus nisi summus sacerdos accedebat. Tale fuit Hierosolymis sacrarium sanctitatis in templo, quod sancta sancto rum appellabant, quo solus semel in anno princeps sacerdotũ intrabat. *Qui confugerint ad ea*) Scilicet adyta.

HIERONYMVS.

Diuus Hieronymus Eusebij filius Stridone, quod est oppidum in Pannoniæ Dalmatiæque confinio à Gothis euersum, natus: Romæ puer Donato est usus præceptore grammatico, mox Victorino rhetore: postremo Græce latineque liberalibus disciplinis egregie institutus, cum annos ageret triginta, à Liberio pontifice romano presbyter est consecratus. Roma deinde profectus, Gregorium Nazianzenum Bizantij audiuit: incredibilique discendi cupiditate alios alibi uiros attendit: Alexandriæ Didymum, Antiochiæ Apollinarem, & circa Bethleem & Hierosolymam Baraniam, cui iudæorum metu dabat noctu operam. Assectatus ad hæc uiros doctos omnis generis & professionis, Latinos, Græcos, Hebræos, Syros, Chaldeos, tanto discendi ardore flagrauit, ut iam grandis natu discipulus dici, quam præceptor mallet. Varia itaque triplici lingua uersatus, omnem studiorum rationem ad orthodoxæ fidei usum accõmodauit. Vertit ex Græco quædam, sed ex Hebraico multo plura. Vetus testamẽtum romanum fecit ex Hebræo: recens latinũ ex Græco. Origenis homilias ex græcis latinas. Leguntur eius epistolæ multæ & elegantes. Scripsit de uiris illustribus historiam, filo ab apostolis ad sua tempora perducto. Sed ut breuiter dicã, nulla ferme pars est nouæ ueterisque legis, nihil propheticum, historicum, euãgelicum, nihil aut mysticum, aut archanum, quod non ille tam scite quam eleganter tractauerit. Eremitas & monachos sanctioris uitæ libẽter inuisit, ut solitudini assuesceret. Tandem à Cyrillo Hierosolymitarum antistite solitudinis circa Bethleem impetrauit locũ, ac construxit: ubi reliquum uitæ apostolico ritu egit. Vixit cũ

co

eo Eusebius Cremonensis,& alij plerique uiri præcipuæ sanctitatis. His ille canonicas horas instituit,quibus diuinæ in templis laudes canerentur. Decessit uita,cētum circiter annos natus,Theodosio & Honorio imperantibus.

Attendit) Attente audiuit. *Romanum fecit)* Latinum fecit. *Recens testamentum)* hoc est nouum. *Filo)* Stylo & scribendi ductu, translatio ducta à textoribus:qui telam tenuissimo filo candidissimoque texentes,probatissimam laudatissimamque conficiunt. Gellius,amaui,inquit,in vtriusque epistola breuitatis elegantissimæ filum tenuissimum.

FRANCISCVS.

Franciscus Asisias humili ortus loco tanquam nouum sydus in terris eodem,quo Dominicus prædicator tempore,apparuit,eique iunctus amicitia fuit. Patrem habuit Petrum Bernardonum,qui quòd ad francos ob merces penetrauerat,id filio nomen indidit. Francisci genesis futuraque sanctitas parentibus ante ortum uisa fuit:& uitæ singulis incremētis deo pauperibusq; genitum,cunctis apparuit. Anno ætatis decimo octauo,distributo in pauperes patrimonio,pastoralem sumpsit habitum:& nudis pedibus ambulans,Romam uenit. Vbi ad fores basilicæ Petri inter mendicos rogator sedēs,ulcerosos exosculabatur,comitabaturque. Quadriennio etiam in eremo,& saltibus ferarum uixit. Inde iam diuina instructus sapientia duodecim sibi comitibus electis,prolapsos ad uitia iam dudum populos concionibus adhortationibus prodigijs ad nouum ordinem,uitæque abstinentiam prouocauit. Cumque seruatoris nostri per omnia fere typum gereret,reputans animo illud euangelici sermonis,quo sanctissimi iubentur apostoli nec binas tunicas nec sacculum habere:unicam induit uestem natiui uelleris,funiculoque præcinxit:pedes nudauit,& anachoretam inde egit. Visitur hodie crepido in Appennini iugo,cui Lauernæ nomen est:ubi diuinis ille intentus,dominicæ passionis stigmata accepit. Quos igitur sibi pientissimi instituti fratres ab

initio optauit, manifesto humilitatis argumento minores dixit. Sacerdotes usque adeo ueneratus est, tantumque dignitatis eis semper detulit, ut diaconus ipse ad sacerdotium aspirare nunquam sit ausus. Obijt quadragenarius Asisij anno salutis humanæ uicesimo septimo supra duodecies centesimum.

Asisias) Ex Asisio oppido Italiæ. *Rogator*) Mendicus & postulator. *Gerens typum*) Formam & similitudinem. *Natiui velleris*) Naturalis, nulo colore imbuti. *Anachoreta*) Sunt anachoretæ secessores, qui ab hominibus longe recesserunt: quod nomen apte monachis accomodatur. *Crepido*) Extremitas cuiuscunque editioris loci potest appellari crepido. *Stigmata*) Notas & foramina clauorum & lanceæ Christi.

ATTILLANVS.

ANnum agens Attillanus uicesimum quintum, togã sumpsit monasticam in cœnobio Moreola prope Zamoram. In quo tunc abbatiam forte gerebat Froilanus, uir inculpatæ uitæ, morumque honestißimorum. Qui cognita attillani sanctimonia, prioratum (quem uocant) ei detulit. Decem iam annos monachum Attillanus egerat, cum Zamorensi episcopo simul & Legionensi fato functis, nulli digniores inuenti sunt, qui in eorum locum subrogarentur, quam Froilanus abbas & ipse prior Attillanus. Sed Attillanus postquam Zamorensi clero decem annos præfuit: memor criminum iuuentæ turpißimorũ, peregrinationem, mixtus pauperum turbæ, suscepit: iubens interim annuos redditus in pauperes erogari. Cũ iam proficisceretur, anulũ in flumen proiecit cum his uerbis, tunc meorũ cõmissorum ueniam promeruisse, certus ero, cum iterum mi anule te uidero. Peregrinatus est pannis obsitus inter egenos annos duos: & oraculo monitus, obtinuisse, quod tantis laboribus quæsierat, reuersus est. In saltu sancti Vincentij decornu (sic uocant) cum rediret, pauperis cuiusdam in domum diuertit: & exenterato ad prandium pisce, quem non leuis sors obtulerat, anulum, quem proiecerat, inuenit: factusque uoti compos, ingẽ

tes

tes Deo gratias egit. Exceptus à Zamorēſibus ſumma lætitia, campanis etiam ſe ultro mouentibus, deſedit poſtea in epiſcopatu annos ſeptem, & fœliciter mortuus, in numerum ſanctorū ab Vrbano primo relatus eſt.

Zamoram) Ciuitatem Hiſpaniæ. *Pannis obſitus*) Horridus & incultus. *Diuertit*) Hoſpitatus eſt. *Exenterato piſce*) Aperto. Eſt enim exenterare, inteſtina educere extrahereque, quare exenterare marſupium dixit Plautus decentiſsima tranſlatione.

MARCVS, MARCELLVS, APVLEIVS, SERGIVS ET BACCHVS.

MArcus ſummus pontifex Romæ patre priſco natus. Conſtantino imperatore, duo cōſtruxit tēpla: Ardeatina uia unum, ubi eſt poſtea ſepultus: Romæ alterum, quod piētiſsimus princeps magnis muneribus excoluit. Eius decreta fuerunt, ut Oſtienſis antiſtes, à quo romanus conſecratur, pallio uteretur: utque feſtis diebus poſt euāgelium clerus ſymbolū enunciaret. Habuit denique eius pontificatus annos duos, menſes octo.

MArcellus & Apuleius Simone mago, cui primo adhæſerant, relicto, Petrum apoſtolum ſunt ſequuti. Poſt cuius martyrium ab Aureliano uiro conſulari, quòd Chriſtum uerū Deum prædicarent, ſunt interfecti.

SErgius & Bacchus milites ſtrenui, & Maximiano imperatori nimiū dilecti, in prouincia Euphrateia ſub eodem principe Sergius primicerij, Bacchus ſecundicerij honore fungebātur. Sed cū Maximianus chriſtianos eſſe cognouit, torquibus omnique ornamēto militari nudatos, & colobijs indutos, trahi iuſsit ad Antiochū præſidē prouinciæ: ut uel deorū cultui reduceret, uel per ſæuos cruciatus interimeret. Antiochus poſtea quā à ueri Dei cultu, piaque religione nō potuit ſanctos uiros deducere: Bacchum crudis cædi neruis tandiu iuſsit, quoad animā exhalaret. Sergio caput eſt amputatū. Terra tamen in quā ſanguis fluxit, ſubſidēs uoraginē fecit: ubi corpus eſt ſepultum.

Exco-

Excoluit) Exornauit. *Primicerius & secundicerius*) Honores erāt & tribunatus militares. *Colobijs*) Colobia vestimenta sunt mutila sine manicis, & quasi trunca.

DIONYSIVS ET SOCII.

Dionysius Ariopagita ab Ariopago uico Martis cognominatus, ubi iudices, quorum unus erat ipse, Atthenis sedebant: quo Christus die passus est, admiratus inter alios philosophos Solis præter naturam eclypsim: aut deus, inquit, naturæ patitur: aut mundi machina dissoluitur: statimque Deo incognito ara dicata est. Hanc cum Paulus *apostolus omnia templa circuiens, contemplaretur, philosophis, quibus cum forte disceptabat, gratulabundus ait: hic est uere* Deus *ille, quem prædico, cœli & terræ conditorem.* Dionysius, *qui erat in diuinis alijs philosophis longe peritior, cum acrius disputationi aduersus apostolum insisteret: uidens tandem cæco per Christi nomen uisum ab apostolo impertitum, statim credidit, & cum uxore* Damari *baptizatus est. Institutus triennio* Dionysius *ab apostolo, & episcopus factus, frequentibus concionibus* Atthenas *& omnem ferme regionem in partes christianas traxit.* Audito *postea*, Romæ Pætrum *&* Paulum *à* Nerone *coniectos in carcerem, eò protinus aduolauit, eorumque martyrio interfuit.* Inde *à Clemente successore* Petri *cum* Rustico *presbytero, & Eleuterio diacono in Galliam legatus, Lutetiam tādem uenit: & breui magnam Christo plebem acquisiuit.* Domitiano *autem imperatore denuo in christianos defæuiente*, Fescennius *præfectus in Galliam missus, edicta pronunciabat impia in christianos: & ecce* Dionysius, Rusticus, *et* Eleutherius *à templorum pontificibus delati, colligantur, raptantur, maleque accepti prætorio inferuntur.* Non *dictu facile est, quot quātaque tormenta summi Dei cultores cōstantißime pertulerint.* Nam *& crate ignea extenti, bestijs famelicis expositi, in clibanum ardentem coniecti, crucibus affixi, perque alios cruciatus adacti,*

adacti, permanserunt inuicti, miraculis ubique obuersantibus, & curam esse Deo suorum, insinuantibus. Denique præfectus superari posse tormentis, destitutus spe, decollandos ad aram Mercurij pronunciauit.

Disceptabat) Verbis contendebat. *Lutetiam*) Lutetia Parisiorum gallicarum vrbium est clarissima. *Delati*) Accusati. *Prætorio inferuntur*) Est prætorium domus prætoris siue ducis, Omnis enim magistratus, cui paret exercitus, prætor appellatur. *Adacti*) Impulsi & tracti.

APHRA ET COMITES.

Apud Augustanam Cretæ ciuitatem Aphra pudicitiam ante baptismum uulgo prostituit. Habuitque *tres puellas ministratrices, Dignam, Eumeniam, & Eutropiam, quæ suorum etiam corporum potestatem cunctis faciebant.* Verum *Narcisus* Hierosolymitanus *antistes cum in eius domum forte diuerteret, nescius quod habitaculum ingrederetur: usque adeo bonis eam cum tribus puellis institutis, & morum integritate expergefecit, ut ad Christum ultro conuersas anteactæ uitæ pœnituerit, mundoque penitus renuntiauerint.* Hilaria *etiam mater* Aphræ, *quæ lenocinium exercuerat, Narcisi doctrinam imbibēs, baptizata est. Quod præfectus urbis intelligēs, Aphrā iussit teneri, & cum ad sacrificandum tum minis tum precibus & blanditijs instigaret, & illa christianam se nullo modo dæmonibus libaturam, contenderet: iræ non patiens, uiuam cō buri præcepit.* Ducta *igitur in syluam, quam alluit* Lethæus *fluuius, flammisq; imposita: corpore pene intacto, expirauit.* Mater *& ancillæ, quæ dominam fuerant prosequutæ: à puero diuinitus oblato flumen nauicula transuectæ, corpus integrum sustulere, & in proprio conditorio sepeliere. Deprehensæ tamen ad tumulum Aphræ: cum Christum Deum faterentur, in pyram simul coniectæ, martyrium subiere.*

Pudi-

Pudicitiam vulgo prostituit) id est nundinata pudicitia, corpus vulgo prostituit. Prostant fœminæ, cum omnium libidini patent, & expositæ sunt. *Renuntiarit*) Cesserit. *Lenocinium*) Lenocinari & lenocinium exercere dicuntur lenones & maxime le næ, quæ mulieres quæstuarias prostituunt.

FAVSTVS, IANVARIVS ET MARTIALIS.

Faustus, Ianuarius, & Martialis Cordubæ, quæ ciuitas est Hispaniæ, sanctissime degebant: cum Eugenius præses urbem ingressus, eos ad se uocauit, & quem Deum colerent, interrogauit. Quibus etiam Christum omnium creatorem Deũ se colere fatentibus, iterum Eugenius instat. Quæ uos execrata ac penitus destituta societas in perniciem agit? Nulla est Faustus intulit, pernicies maior, quam quæ te præses exagitat, ut uerum nos Deum abnegare, compellas. Eugenius ira correptus, rapite uos, inquit eum, & in eculeo quamprimum suspendite: discat, irreuereri præfectum quanti constet. Ianuarius Fausto inuidens, fœlicissimum appellabat, quòd prior ipse uiam ad martyrium fecisset. Ad Martialem autem Eugenius, inquit: quis te horum insanæ societati addixit? pone furorem, & nostris præceptis obtempora. Cui Martialis respondit: Deus, qui condidit uniuersa, te puniet impie, meritásque pœnas de te sumet. Iterum Eugenius furit: & torquete, clamat, hos de liros: nares eis & aures abscindite, dentes infringite. Quod cũ fieret, gratias agebant Deo sancti martyres, seque mutuo ani mabant. Tandem Eugenius à proposito Martialem euertere conatus, dinumerans quæ tormenta, quæ mortes Christi cultores sequerentur: cum nihil proficeret, ut igni tres simul trade rētur, edixit: ubi spiritum ediderunt.

Instat) Vrget. *In perniciem agit*) propellit in vestram ipsorum perniciem. *Exagitat*) Concitat & perturbat. *Addixit*) Adiunxit, astrinxit. *Meritas de te pœnas sumet*) id est Puniet, vt meritus es. Sumere pœnas de aliquo est, ipsum punire.

CAlixtus patria Romanus summus pontifex instituit primus: ut frumenti, uini, & olei gratia ter in anno ieiunaretur. Inde mutato consilio in quatuor partitus est tempora, id ieiunium, in Ver, Aestatem, Autumnum, Hyemem. Idem haereticos iudicauit, qui negarent, sacerdotibus post crimen admissum, etiam si poeniteret eos admissi, patere reditum ad dignitatem. Basilicam uirgini matri in Transtyberina regione aedificauit. Erant tunc imperatorum saeuitia sic omnia christianorũ in occulto: ut sacella modica eaque ferme subterranea fierent. Condidit uia Appia coemiteriũ suo nomine, ubi erant multorũ martyrum repositi cineres. Huius tẽporibus pars Capitolij fulmine icta conflagrauit, Iouisque manus aurea liquefacta est. Et cum sacerdotes imperatoris iussu iras deorum sacrificijs lenire tentarent, quatuor caelo tacti interierũt: ara ruit: sol obscuratus est: quare multi Christum Deũ crediderũt, & martyrio consumpti sunt. Calixtus etiã quòd immedicabilibus mederetur uulneribus, & christianã religionẽ nimiũ proueheret, fustibus caesus est, & in tetro carcere reclusus. Sed cum nihilominus ibi alios atque alios baptizaret: per fenestram est praecipitatus, & in puteum mersus. Vnde corpus est ab Austerio presbytero eductum, & suo coemiterio sepultum.

In trãstyberina regione) quatuordecim fuere Romę regiones insignes, quarũ fuit Transtyberina, q̃ continet Ianiculũ, Hortos Neronianos, Naumachiam Neronis & templa, balneáque multa. *In suo coemiterio sepultum*) Multa fuere Romae coemiteria suis ab autoribus cognominata, inter quae duo fuere, Calixti alterum apud ecclesiam Sixti, alterum apud ecclesiam Fabiani & Sebastiani.

LVCAS EVANGELISTA.

LVcas medicus Antiochensis (Hieronymi uerbis utimur) graeci sermonis non ignarus, sectator apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes, in Achaiae partibus instigante

gante ſpiritu ſancto,euangelium ſcripſit: cum iam ſcripta eſſe euangelia per Matthæum quidem in Iudæa,per Marcum in Italia non ignoraret. Cui extra ea,quæ ordo euangelicæ diſpo ſitionis expoſcit,ea maxime neceßitas laboris fuit, ut primum græcis fidelibus omni prophetatione uenturi in carnem Dei Chriſti manifeſta eſſet humanitas,ne iudaicis fabulis attenti,in ſolo legis deſiderio tenerentur. De eo igitur idem Paulus:miſimus,inquit,fratrem noſtrum,cuius laus eſt in euangelio, per omnes eccleſias. Et ad Coloſſenſes: ſalutat uos Lucas medicus charißimus. Et ad Timotheum: Lucas eſt mecum ſolus. Aliud quoque ædidit uolumen egregium,quod titulo apoſtolicarum actionum prænotatur. Quidam ſuſpicantur, quotieſcúnque in epiſtolis ſuis apoſtolus dicit,iuxta euangelium meũ, de Lucæ ſignificare uolumine,& Lucam non ſolum ab apoſtolo Paulo didiciſſe euangelium:qui cum domino in carne nõ fuerat,ſed & à cæteris apoſtolis,quod ipſe quoq; in principio ſui uoluminis declarat,dicens. Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipſi uiderunt,& miniſtri fuerunt ſermonis. Igitur euangelium ſicut audierat,ſcripſit:acta uerò apoſtolorum ſicut uiderat,compoſuit. Sequutus itaque Lucas apoſtolum Paulum,uſque ad conſummationem eius,domino ſemper ſine crimine ſeruiuit. Nam neque uxorem unquam habens,neq; filios, octoginta quatuor natus annos obijt in Achaia plenus ſpiritu ſancto,ibique ſepultus. Conſtantino tamen imperante,eius corpus Cõſtantinopolim cũ reliquijs Andreæ apoſtoli trãslatũ eſt.

Antiochenſis) Antiochia ciuitas Syriæ. *In Achaie partibus)* Achaia pars Græciæ. *Quod titulo apoſtolicarum actionum prænotatur)* Inſcribitur uolumen illud acta apoſtolorum.

VRSVLA CVM XI. MILLIBVS VIRGINVM.

VRſula Mauri chriſtianißimi regis Scociæ filia,doctrinæ uirtutiſque indole,pulchritudine quinetiam admirabili cũ

ætas

ctas illius tempestatis fœminas anteibat. Quare rex Angliæ lõge Mauro potentior, dari filio suo coniugem, per legatos postulauit: multa patri pollicitans, si filiam desponderet: multa rursum minitans, si abnegaret. Maurus acceptis postulatis, incerti fuit animi diu, hæsitans, quid potißimum eligeret. Nam superbißimi regis exasperare furorem, exhorrebat. Tum uirginem christianam ethnico tyranno committere, impium nimis iudicabat. Virgo tamẽ diuinitus inspirata, patri persuasit, ut nuptias tali lege pacisceretur: ut iuuenis ille futurus sponsus cum primis baptizaretur, pérque trienniũ in fide præstrueretur. Tũ decẽ nobiles elegantésque puellæ deligerentur, quibus singulis atque sibi millenæ singulæ uirgines dicarentur. Quæ omnes nauibus impositæ, triẽnio toto per mare uoluptatis gratia discurrerent. Non aspernatus est rex Angliæ cõditionem, reputans simplicis ludibundæque puellæ illos esse affectus, qui tempore mitigarentur ac immutarentur. Itaque fabricatis nauibus, rebúsque necessariis instructis, undecim millia uirginũ, non per Britaniã solum & Scotiam: sed per omnem fere Europam conquisitarũ, mare conscenderunt, cũ magno utriúsque regni procerum ac episcoporum comitatu. Cum igitur propositum suum Vrsula piæ claßi satis explicuisset, & uirgines in fide christiana satis præstruxisset: iã naumachiæ simulachra, ludos iam claßicos edendo, quo socerum falleret: gallicæ tandem oræ peracto triennio applicuit: & terrestri itinere Coloniam uenit. Inde Romã pertendens, cum tot millibus uirginũ à Cyriaco pontifice benigne est excepta. Sed neque diutius ibi commorata, redditum ad martyrium, ab angelo sibi Coloniæ prænunciatum, maturauit. Iam Cyriacus summo põtificatu se abdicauerat, quo uirgines comitaretur: iam alij non incelebres antistites, regina etiam Siciliæ cum quatuor filialibus, sponsus item Vrsulæ, qui cum sororibus eò uenerat, sese itineri accinxerant. Cum imperatores Romani anxij nimiúmque soliciti, quòd tanti fierent concursus hominum ad uirgines: tantúmque

M nomen

nomen christianum augeretur: Iulianum Hunnorum ducem per nuncios ac literas instigarunt, ut in eas impetum faceret. Qui explorato uirginum itinere, Coloniam iamiam irrumpẽtes circumacto exercitu omnes trucidauit.

Regis Scotiæ) Britania quæ primis seculis Albion nunc Anglia dicitur: insula est in Occeano septentrionali, quæ hodie in duo est regna diuisa Angliæ & Scotiæ sicuti temporibus Vrsule: nõ tamen magis populis conuenit, quam illa tempestate conueniebat. *Acceptis postulatis*) Cum accepisset quod rex Angliẹ postulabat. *Propositum suum*) Scilicet vt omnes virgines illæ christianę fierent, & pro Christo nihil non auderent. *Pontificatu se abdicauit*) Reliquit & deposuit pontificatum.

NVNILO ET ALODIA.

ANno redemptionis humanæ octingentesimo quinquagesimo primo, Abderhame in Hispania regnante, impium promulgatur edictum: ut christianus quisque ex utroque uel altero parente genitus ethnico, Christum abnegaret, aut iugulũ ensi traderet. Cumque in territorio Berbetano prope Oscam duæ essent sorores Nunilo & Alodia, ethnico parente christianáque matre genitæ: quæ primis ab annis matrem sequutæ, christianam pietatem medullitus imbiberant, cognatus earum quidam de deserendo Christo paternóque ritu resumendo anxius eas solicitabat. Orbatæ siquidem utroque parente, nullam faciebant spem, aliquando matrimonio uelle uacare: sed omnẽ curam, quæ nubiles puellas exercet, abijcientes, soli Christo sanctæque religioni indulgebant. Quare propinquus ille nobilitatem ac stemmata sui generis propagari forte percupiens: uel potius timens, ne bona fisco addicerentur, quòd edicta uirgines principum contemnerent, à Christi eas dogmate ad dæmonum culturam pro uirili studebat auocare. Verum cum contẽnisse, uerbáque sua irrita deperire, manifesto cognouit: detulit ad proconsulem, eas ritu christiano agere. Quæ continuo ad tribunal ductæ, multisque uerbis interrogatæ, Christum au

dacissi-

ßacißime concelebrarunt,constantißiméq; prædicarunt.Tum lictor Nuniloni natu maiori,compone,inquit,ceruicem,ut lethalem tibi inferam plagam. Illa libenter impigréq; faciens, gladium media mandibula excepit:& cum exanimis procumbens,crura paululum nudasset,soror statim cum omnium admiratione accurrit,& ueste quod erat nudatum,obtexit. Aggreditur tum proconsul Alodiam,subijciens:nostris obtempera præceptis,si mortem præsentem effugere uis. At illa sororis animam cernens,cœlos penetrantem:præstolare me parũ per,inquit,soror,genibúsque flexis caput percussori obtulit, quod uno ictu amputatum est.

Promulgatur) Pronunciatur palam. *Osca*) Oppidum Hispaniæ. *Solicitaret*) Instaret & solicitum redderet. *Exercet*) Commouet. *Stemmata*) Imagines & insignia. *Addicerentur*) adiudicarentur. *Ad proconsulem*) Ad iudicem qui vice consulis vtebatur. *Mandibula*) in qua dentes fixi sunt. *Subiiciens*) Addens, & hæc verba subiungens.

SEVERINVS.

SEuerinus nobili stirpe apud Coloniam Agrippinam ortus, omnibus sic adeo bonis artibus se puer exercuit,ut æquales facile suos cunctos superarit. Eius siquidem parentes non minus sanctitate quam dignitate Coloniæ pollentes,digni sunt quidem habiti,qui tam pingue támque odorum germen producerent:Nam spiritu sancto eos instigante,uiros apprime doctos conquisierunt:quibus deo dicandum puerum,traderent instituendum ac informandum.Qui bonis omnibus disciplinis imbutus,tanta etiam sanctitate eminebat, ut Ephrata Coloniensi episcopo hæresis damnato: solus dignus inuentus sit, qui eius in locum subrogaretur. Episcopus Seuerinus factus,cum nocte quadam intendẽs orationi, columnam ignis à se cerneret ad cœlos usque pertingentem: ecclesiam ibi construxit: quam Aram cœli nominauit. Tandem multis pietatis operibus sanctißime gestis, multisque laboribus in uinea do-

mini exanclatis, uita functus est: & in cœlitum consortium merito relatus.

Pertinentem) Pertingentem. *Laboribus exanclatis*) Superatis.

SERVANDVS ET GERMANVS.

SEruandus & Germanus sacro chrismate signati, fontéque baptismatis abluti, dæmones malos ab humanis corporibus effugabant, langores Iesu uerbo sanabant. Et cum per Hispaniam id temporis horrida tempestas in christianos ingrueret, nihilo ipsi perterriti, corpora tormentis obiectabant: cruciamenta facile superabant: uiribus nec minus, quam fide constantiáque præstantes. Cumque serenitas tantula interueniret, & ecclesia paululum respiraret: quamuis christiani, qui uinculis tenebantur, dimitterentur: Seruandus & Germanus martyrium alia uia quæsiere. Templa quippe gentilium adeuntes aras deorum simulachráque diruebant, ac disturbabant: sacrificantes arguebant, durisque uerbis castigabant: quòd relicto Christo uera luce, tenebras ipsumque Tartarum sequerentur. Vinciuntur iterum à præside Viatore, nouisque generibus tormentorum exercentur. Reputantes tamē, quæ præmia illis cruciatibus deberentur, maiora se pati exoptabant. Denique cum sententiam dixisset Præses, ut capite plecterentur, libentissime quidem gladio colla subdiderunt.

Ingrueret) Magno impetu inuaderet. *Exercentur*) Agitantur & cruciātur. *Capite plecterentur*) Occiderentur. Plecti enim capite, decollari est.

CRISPINVS ET CRISPINIANVS.

CRispinus & Crispinianus fratres Roma profecti, Suessionem Galliæ ciuitatem deuenere. Vbi sutoriam artem condiscentes, uictum sudore uultus quæritabant, Qui tamen ad eos accedebant per causam emendi sibi calceos: certe nō prius abibant, quam Christum deum cognoscerent & adorarent. Cuius

ius rei præses Rictiouarus certior factus, uinctos eos ad Maximianum imperatorem traxit. Qui doctus, sanctos hos fratres maiorem iuuandis pauperibus curam impendere, & ad Christum partem populi traducere, fustibus cædi & per ungues terebrari præcepit. Quæ tormenta cum lætis ipsi uultibus superassent, in flumen hiberno frigore congelatum demergi sunt iussi, saxis collo ingentibus alligatis: sed momento etiam incolumes emerserunt. Cumque plumbo liquefacto respersi non exurerentur: gutta saliens præsidis oculos obcæcauit. Quo dolore permotus, fratres in picem feruentemque adipem coniecit: & cum illæsos etiam subductos cognouit, iræ impatiens, in ignem seipsum præcipitauit. Eius morte Maximianus comperta, Crispinum & Crispinianum capite damnatos, morte multauit.

Morte multauit) Morte affecit, puniuit.

VINCENTIVS, SABINA ET CHRISTETA.

CVm Dacianus præses Diocletiani & Maximiani iussa sæua per Hispaniam edicta dimitteret, pioque sanguine cuncta tribunalia respergeret apud Eboram ciuitatem Vincētius adolescens comprehensus est. Quem cæpit blande primo Dacianus interrogare: cur florentis ætatis, cuius erat maxime tunc usus, immemor iussa principum contēneret? Cur Christum à iudæis ob flagitia crucifixum, deum crederet? Cui Vincentius: ego, inquit, deum cœli & terræ conditorem colo: tu potius deliros flagitiosósque sectaris deos. Nonne tibi notū est, Dacianus intulit, Iouem omnia quæ uidentur condidisse? Compertißimum mihi est, dixit Vincentius, & uestri libri nō obscure loquūtur: Iouem uirū adulterijs flagitijsque quam plurimis contaminatum fuisse. Non tulit hæc Dacianus, sed amouete, clamat, hominem nefarium, scelestum, impium propellite, & si sacrificare renuerit altaribus admotus, morte multate. Rapitur inde Vincentius, & ad Iouis templum ducitur: sed in media

platea durißimo pede imprimens lapidi, cunctos in admiratiõnem uertit. Demirati certe carnifices pedis uestigium in silice: uerum esse deum, quem prædicabat Vincentius, reputãtes, tres uelut induciarum dies à Daciano extorserunt: interim in custodia tenetur. Sorores Vincentij, Sabina, & Christeta uenientes in carcerem, peruicerunt, ut cum eis frater fugam capesseret: hac lege, ut si denuo uincerentur, ipsæ simul cum eo martyrium subirent. Vincentius percupiens sororum animas lucrifacere, fugam cum eis arripuit, Abilamque peruenit. Dacianus ubi de fuga cognouit: turmam equitum misit, qui Vincentium & sorores trucidarent. Qui Abilæ reperti membratim in eculeo diuaricantur, ac conciduntur: nouißime capitibus fuste lapideque illisis, martyres efficiuntur.

Cuncta tribunalia) Tribunalia sunt loca excelsa, in quibus resident prætores, & quicunque ius dicunt. *Cuius*) scilicet florentis ætatis. *Erat usus*) Fructus & utilitas. *Maxime tunc*) Cum videlicet florebat. *Diuaricantur*) Distenduntur. *Conciduntur*) Frangun tur & veluti membratim cæduntur.

SIMON ET IVDAS APOSTOLI.

Simon Cleophæ filius, cui in sortem euangelicæ prædicationis Aegyptus obuenit: postquam circumquaque Christi uerbum enunciauit, & Iacobus martyrio est affectus, apostolorũ uno consensu Hierosolymitanam sedem accepit: in qua diu cõmodeque desedit. Annum tandem agens uicesimum supra centeßimum, Traiano romanis imperante, calumniam passus est ab hæreticis, tãquam qui esset ex genere Dauid, et christianus: Atticoque consulari est oblatus. A quo uarijs supplicijs longo tempore affectus: ad ultimum eo modo quo Christus passus, martyrium pertulit: omnibus qui aderant, & ipso iudice mirantibus, quòd centum uiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset.

Iudam

Iudam autem Thadæum ad Abagarum regem missum hoc modo ecclesiastica tradit historia. Abagarus quidam ultra Euphratem *principatum tenens, morbo corporis irremediabili, quantum inter homines tenebatur. Qui cum de nomine Iesu audisset, supplex ei per epistolam factus, exorat, misso in rem homine, diutini morbi uinculis absolui. Sed ad præsens quidem à domino corporis eius cura differtur: dignus tamen efficitur rescripto epistolæ saluatoris: in qua promittitur ei, quòd non multo post desiderij sui cõsequeretur effectum.* Post *ascensionem itaque domini missus est* Thadæus *ex commotione diuina* Edessam *urbem, in qua* Abagarus *regnabat, euangelista & prædicator uerbi* Dei: *& quæ à domino promissa fuerant, adimpleuit.* Hic *est* Thadæus *qui in Mesopotamia ac in inferioribus* Ponti *euangelizans: feras indomitasque gentes, quasi beluarum naturas sancto dogmate mitigabat, Ad ultimũ tamen martyrio consumptus in* Ierico Armeniæ *urbe sepultus est.* Huc *usque* Eusebij Cæsariensis, *ac* Hieronymi *sumus authoritatem & uerba sequuti: nunc quæ apud* Persidem *simul iuxta uulgarem quandam historiam peregisse, referuntur* Simõ & Iudas, *perstringamus.* Cum *iam* Simon *in* Aegypto, & Iudas *in* Mesopotamia & Ponto *euangelium prædicassent, in* Persidẽ *ambo uenerunt.* Vbi Zaroẽ & Arphaxat *magos, quos ex* Aethiopia *fugauerat* Matthæus, *cacodæmonis arte prodigia passim operantes, inuenerunt, simul ac suffrenarunt.* Eodem *tempore* Baradath Xersis Babyloniæ *regis imperio, exercitũ parabat in indos: cupiensque nosse, quem bellum finem esset habiturũ: nullum poterat habere responsum à dijs, eo quòd apostoli sermonis eos usu priuauerant.* Itaque *proximæ ciuitatis interrogatis dijs, cõperit: apostolos* Christi *uocẽ idolis ademisse.* Inuestigat *eos, inuentosque rogat, qui sint, quã ueniendi causam habuerint.* Illi Christi *referunt esse discipuli, salutẽque mortalium agere, ac negociari.* Cumque *dux* Baradath *multis rationibus conuictus ac persuasus, apostolicam uirtutem fatetur dijs*

gentium lõge præstantiorem: pios fratres orauit, ut belli, quod ipse parabat canerent euentum, ac præuuntiarent. Cui apostoli, quo deos, inquiunt, tuos appareat esse mendaces: potestatem facinus illis, belli successum cauendi. Ita dij ora soluentes, denũciarunt bellum atrox futurum multosque utrinque casuros. Quos apostoli deridentes, imo cras inquiunt, hostes caduceatores mittent, quo pax æqua conueniat. Pontifices templorum arguere tum apostolos cæpere: quòd ducem opprimi incautũ maxime studerent. Dux utrosque custodiæ tradidit, quoad luce sequenti ueritas ab apostolis stetit: & pontifices damnati sunt, bonaque eorum apostolis tradita. Sed apostoli & diuitias contempserunt, & pontifices à morte uindicarunt.

Desedit) Mansit & commoratus est. *Vltra Euphratẽ*) Euphrates grandis fluuius Parthorũ, qui ortus in Armenia prope fontem Tigridis, Babylonem transit & influit mare rubrum. *Caduceatores*) Legati & internuncij pacis à caduceo virga Mercurij, quam manu gestabant. *Ab apostolis*) Pro apostolis.

CLAVDIVS, LVPERCVS ET VICTORICVS.

Diogenianus præfectus, sæuus christianorum insectator in Hispania, Diocletiano & Maximiano imperantibus, Legione impium promulgans edictum: ut dijs sacrificarent omnes, aut morti succumberent: tres simul uiros accepit Claudium, Lupercum & Victoricum trinitatem publice profiteri. Quos per lictorem accitos, cum interrogaret, cui sectæ essent addicti: trinitatem se colere dixerunt. Iterũ Diogenianus quærit: cum uobis constet, quot hominum millia romanis pareant principibus, miror tanta uos teneri demẽtia, ut omnibus ire aduersos contendatis. Ad quæ Claudius, Lupercus & Victoricus retulerunt: si tu scires præfecte, quot millia angelorum habeas aliena: sicut dementem attendis multitudinem, quæ tuos suspicit imperatores: nostram profecto causam probares, teque delirum

lirum fuisse, iam intelligeres. In quo præfectus, ait, tanta uobis fiducia est? à Christo nostra, respondent, omnis pendet spes: præ cuius amore teque tuosque Cæsares nihil facimus. Tum Diogenianus nostra nos, inquit, expugnat patientia, qui horum insaniam perferimus. Quid tu, referunt, potes in nos? Hæc misera caducaq; corpora perdere tu forte poteris: animæ suo manebunt integræ creatori. Diogenianus non ferens ultra eorum in contemnendis dijs, imperatorijsque supplodendis edictis libertatem, extra prætorium iussit protrudi, ac simul securi feriri.

Legione) Legio ciuitas Hispaniæ, *Accepit*) Audiuit. *Per lictorem accitos*) Lictores, viatores, apparitores publici ministri erant apud Romanos, dictósque lictores volũt latini à ligando, quod eorũ officiũ esset ligare, vincireque quos magistratus insissset, greci (vt est autor Plutarchus) à Liturgio, quod ministro significat, deducunt. *Addicti*) Dediti & deuoti. *Supplodendis*) Irridẽdis.

PASSIO IMAGINIS CHRISTI

Apud Berytum Syriæ ciuitatem, quam multi iudæi incolebant: christianus quidam synagogæ proximus habitabat. Huic erat icona in formam uostri reparatoris affabre effigiata, quam ibi, mutato domicilio forte obliuione reliquit. Postea iudæus, qui forte fortuna domum illam conduxerat, propinquũ sibi quendam hebræum inuitauit ad prandium. Nouus hospes, cum epularentur, imaginem Christi parieti uidens affixam, duris castigato uerbis cognato, conuitia probraque in dominum saluatorem effutiuit. Et quamuis alter iureiurando affirmaret, nunquam se illam iconam uidisse: nihilominus ad principes & magistratus suæ gentis rẽ defert. Illi ueluti furore correpti, conuolant, domũ irrumpunt: conspectaque imagine, iudæũ corripiunt, macerant atque semiuiuũ extra synagogam protrudunt. At uero saluatoris figuram deiectam in terra, cachinnis calcibusque excipiunt: uociferantes, omnia quæ nostri maiores Iesu Nazareno opprobria cruciatusque intulerunt,

huic nos iconæ inferamus. Quæ cũ dicto citius exequerentur, elemẽta repẽte immutata sunt, signaque antiqua renouata. Nã & ab ictu ferientis lanceæ uelut ex materia sensibili sanguis & aqua profluxit. Stupefacti iudæi tanto miraculo: afferatur, inquiũt, hydria, & ad uulneris locum apponatur: ut quid illud profluuiũ sit, penitus dignoscatur. Quid multis? hydria delata & ad summũ est usque cõpleta. Inducunt iudæi hydriã in synagogã, periclitaturi, uera ne essent, quæ de Christo prædicarentur: & ægros maleque affectos quoscunque perungẽtes, cũ illa cernerent perunctione conualescere, ad uiginti millia hominũ, exceptis paruulis & mulieribus, baptizati sunt.

Effutiuit) Inepté impieque emisit. Est effutire inepte loqui, verbaque lapsantia ac futilia funditare.

TRANSLATIO SANCTAE VICTORIAE.

ANno reparationis humanæ trecentesimo uicesimo post millesimum, Consalus Burgensis episcopus, precibus Mariæ coniugis Xanthi regis Castellæ, legationẽ suscepit ad Philippum regem Gallorum, per causam recuperandæ dotis, quæ Elisabellæ Xanthi filiæ, Britaniæque ducis uxori fuerat intercepta. Parisijs ergo cum esset Consalus expediendo Britanniæ ducis negocio intentus, Burgensis ecclesiæ ueluti sponsæ charissimæ non etiam immemor: anxius interdum cogitabat, qua posset uia margaritis eam, hoc est sanctorum pignoribus honestare, Itaque literas à Philippo rege impetrauit, ad coloniensem archiepiscopum: & monachas illas, in quarum cœnobio undecim millium uirginum reliquiæ asseruantur: ut ex tot millibus unum concedere corpus dignarentur: archiepiscopus et monachæ lectis literis: cum animaduerterent, quam continua bella hispani cum mauris gerant, quámque Burgi cæteras inter urbes præmineant: tam pias respuere preces minime æquum esse duxerunt. Itaque comperto inter reges Hispaniæ & Siciliæ arctã

arctam intercedere cognationē: corpus sanctæ Victoriæ regis Siciliæ & sanctæ Gerasinæ filiæ, quæ cum tribus sororibus & matre fuerat inter undecim millia uirginum trucidata, libenter æquóque animo contulerunt. Quod Burgis est illatum quarto Idus Nouembris.

Xanthi regis Castellæ) Castella regio est Hispaniæ septentrionalis, cuius Burgi sunt primaria vrbs & caput: sed iam pleráque Hispania Castella vulgo dicitur.

MARTINVS.

Martinus apud Sabariam Pannoniorum ortus, mediocris habuit fortunæ parentes ac ethnicos. Alitúsque Ticinij in Italia paruulus ad ecclesiam confugit, & esse cathecumenus procurauit. Verum productus à patre Tribuno militum, militari sacramento obstrictus est: & sub Constantino primum, mox sub Iuliano Cæsare stipendia facere coactus. Triennium ante baptisma militiam Martinus exercuit: nullis tamen uitijs, quæ genus hoc homines solent comitari, implicitus est. Mira fuit in eo integritas, mirus uirtutum omnium amor ac obseruatio, mira probitas ac sanctitudo: nimirum non tam miles quam monachus putabatur. Cum igitur fortis piúsque miles miseriā pauperum subleuando, nihil sibi ex salario publico præter arma, simplicèmque militiæ sagulum reseruasset: nudum quendā ad portam ciuitatis Ambianensium supplicem rogatorem media, qua erat indutus ipse chlamyde, borea sæuiente donauit: eāque nocte sequente per quietem in Christo agnouit. Biennio mensibúsque aliquot post baptismum peractis, militiam Martinus renunciauit: sequutúsque Hilarium pictauensiū episcopū, exorcista est ab eo creatus. Oraculo deinde monitus, ut patriā parentésque reuiseret, quos de orū tenebat cultura delusos, profectus est: exoratus tamen prius ab Hilario præsule, ut quā primum reuerteretur. Mœstus sane peregrinationem est illam Martinus ingressus, ut qui sodalibus multa se passurum incommoda

moda prædixerit:quæ mox euentus asseruit. Nam deuia sequutus Alpium in feros incidit latrones, quorum unus securim in caput librauit, & dextera Martinus ictum excepit. Alter paulo mitior manibus post terga reuinctis, sodali expoliandum custodiendúmque tradidit: qui in remotiora Martinum deducens comperit, esse christianum. Quærebat ex Martino ferus latro, num timeret? Cui Martinus nunquam timuisse minus, professus est, eo quòd sciret, misericordiam domini in tentamentis adesse: eius tamen miserescere, qui latrociniis intentus, misericordiæ fieret indignus. Ingressus deinde Martinus euangelicam disputationem, uerbum Dei latroni clanculũ ingerebat. Quid multis? latro credidit: & Martinum sequutus, rogabat, ut deũ pro se deprecaretur: qui pie sancteque uiuere postea uisus est. Martino tum inde progresso, diabolus humana se obtulit specie, quærens, quò tenderet, quando sciret ubique diabolum habiturum aduersum. Cui Martinus propheticum obiecit oraculum. Dominus mihi adiutor: & non timebo, quid faciat mihi homo. Tandem quod animo Martinus conceperat, ex parte obtinuit. Nam matrem ab idolatria uindicauit. Cathecumenus quidam, qui se Martino coniunxerat, cupiens sanctißimis eius præceptis instrui, moresque æmulari, absente forte Martino, sine baptismo defunctus est. Huius propinquos Martinus rediẽs, lamentantes super exanime corpus offendit: doluit & ipse simul & lachrymatus est. Post longos tamẽ singultus, precesque ad deum instantißime fusas: excedere cunctos foras, iubet. Ipse obseratis cellulæ foribus, in qua corpus iacebat, super exanimata membra prosternitur: & supplicijs prius finem non fecit, quam moueri corpus præsensit. Erectus paululum Martinus in ora defuncti defixit intuitum, precum benignitatisque dei expectans euentum. Tandem peractis circiter horis duabus, corpus totum moueri, apertisque oculis lucem uiuidum intueri, percepit. Vix lætitiæ gratijsque deo agendis modum Martinus imponens, cellulam ingenti clamore repleuit. Quẽ, qui

qui pro foribus stabant, audientes, irrumpunt, mirúmque specta culum cernunt: uiuere scilicet, quem mortuum deplorauerant. Post hoc inuitus Turonensis episcopus creatus est. Non tamen ualens concursus hominum ferre, monasterium extra urbem construxit: in quo cum octoginta pijs monachis sanctissimam uitam degit. Postremo tandem (miracula cætera omittamus) mortis suæ factus certior, Postea quam inter Condatenses clericos pacem firmauit, & de reditu cæpit in monasterium agi tare: uiribus corporis repente destitutus, discipulos conuocauit, & mortem suam instare prænunciauit. Mœror tum ac luctus cunctos inuasit: quærebantur derelinquendos: lupósque gregem dominicum inuasuros, lamentabantur. Quibus motus diuus Martinus, flebili uoce, Domine, inquit, si sum populo tuo necessarius: laborem non subterfugio, Post alia item multa, cũ diabolum cerneret insidiantem: quid hic, ait, stas cruenta bellua? nil in me funestum reperies. Et sub hanc uocẽ diuinis exer citum rebus spiritum cœlo reddidit. Mortus est diuus Martinus octogesimo primo ætatis anno: & episcopatus sexto & uicesimo: Honorio & Archadio imperantibus.

Cathecumenus) De cathecumenis vide quæ annotauimus in Ambrosio. *Militari sacramento obstrictus est*) Compulsus vt iura ret in verba ducis, & vt militiam auspicaretur. *Stipendia facere*) Militare. Erat enim stipendium merces & salarium, quod militibus dabatur, ab stipe sic appellatum, quòd per stipes. i. modi ca æra colligebatur. *Quæ genus hoc hominis*) Modus dicendi elegantissimus à maioribus, illis qui linguam latinam condiderunt frequentissimè vsurpatus, vbi quis diceret huius generis homines. *Sagulum*) Chlamys militaris. *Rogatorem*) Mendicũ. *In Christo agnouit*) Apparuit ei Christus eadem chlamyde indu tus. *Alpium*) Alpes montes sunt altissimi inter Galliam & Italiam, olim Transalpinam Galliam à Cisalpina diuidebant. *Ora culum*) Pro voce & responso diuino solet vsurpari. *Instantissime*) Admodum sedulo.

AEMILIANVS.

Aemilianus in Tarraconensi prouincia curã agebat ouiũ, ut ad magisteriũ hominũ, cui erat destinatus, præstrueretur. Hic cum certo die citharam de more pastorum secum ferret, ne desidia mens ociosa torperet, ad locum cælitus dispositum peruenit, & mox obdormiuit. Etenim opifex ille mundi citharæ materiam adornans, in sacrarum instrumenta literarum conuertere, & opilionis animum in diuinæ mentis cõtemplationem trasformare: somnum Aemiliano *immisit. Expergefactus namque, cœlestem iam meditabatur uitam, & cura relicta ouium, in eremum festinauit. Cúmque apud Felicem uirum sanctißimum moras nonnullas traxisset, & modum ab eo uiuendi didicisset, ad propria remeauit. Haud ibi tamen diu moratus, quòd impedimento sibi esse concursus hominum, intelligebat, Distecij montis iuga perrexit. Quas ille quadraginta annos, quos solus in eremo duxit, uisibiles, quas inuisibiles hostis humani generis ludificationes pertulerit, ij conie ctabunt uere, qui in se fuerint experti. O ingens donum o singularem uirum o præstantißimum animum diuinæ contemplationi sic adeo deditum, ut nihil in eo uendicare sibi hoc seculũ uideretur. Quoties (coniectura hæc est) diuina mente afflatus, inter densißimas syluas, uerticésque collium excelsos clamabat ad Christum: heu me, quia peregrinatio mea prolongata est. Sed tandem cum fama pietatis eius longe latéque diffunderetur: tractus est ad ecclesiam, & in eius moderamine multis functus laboribus, ad annum uitæ prope centesimum migrauit ad Christum.*

Vendicare) Vsurpare, petere vt suum.

BRIXIVS.

Brixius iuuentute lasciuiens, Martino Turonensi episcopo libere nimium detrahebat Conuitia in eum frequenter iactabat. Quare sæpius Brixium Martinus obiurgauit, uerbis castigauit: & ad ultimum, scias, inquit, à [illegible] me preci-

bus

bus obtinuisse Brixi,ut mihi succedas: multa tamen es aduersa passurus in episcopatu. Nihilo his mutatus est Brixius,identidem iocabundus pium in episcopũ scommata iaciebat. *At uero morte Martini Brixius episcopatum adeptus,sic adeo immutatus est,nouum sic hominem induit,ut à pijs nunquam precibus auocaretur.* Anno pontificatus tricesimo(*cætera nũc prætermittamus*) *impudicitiæ accusatus est, quòd mulier linteorum lotrix enixa est filium.* Ille Turonensem populum in se uidens commotum,& ad lapidandum excitum, fictum esse crimen contendere,nihil se tale cõmeritum,affirmare. Tandẽ cum nihil uerbis aduersus multiplicẽ bestiam,populũ scilicet, proficeret:afferri iussit infantem,& coram inquit,allato:per Christũ Dei filium te adiuro,ut si ego te generaui, tu fatearis ipse.Cui recens natus infans respondit:non es tu pater meus. Rogabat populus Brixium,ut de uero patre quæreret. Quibus non pertinere dixit ad se,plus uelle scire,disquirerent ipsi. Tum magiæ ascribentes populares,quod erat factum, quãuis in sui expurgationem prunas birro(uestis erat genus) Brixius sine floci noxa ad tumulũ Martini portasset:trahunt pium antistitem,iactant,extráque urbem proijciũt.Ita uerus fuit Martinus,qui multa Brixium aduersa passurum,prædixerat. Brixius, romanum pontificem adijt,peccasséque fassus in sanctum præsulem Martinum,cuius uirtutibus minus adhibuisset fidem, post annos denique septem restitutus est in propriam sedem, mortuis non sine prodigio Iustiniano & Arnuntio,qui in episcopatum alter post alterum successerant. In qua denuo sedit Brixius annos septem:& fœliciter mortuus est.

Scommata) Exprobationes & contumeliæ morsúsque figurati quidem,sed amarulenti *Birro*) Flauius Vopiscus in vita Carini ait,birros esse Aphrorum:sed Baptista Heuatius super eundem Vopiscum contendit,birrum esse Gallicæ vestis genus.

EVGENIVS.

Post

POst martyrium apostolorum Petri & Pauli:Clementis autoritate & benedictione Galliæ totius apostolatũ Dionisius suscepit.Qui profectus cum quamplurimis episcopis ac diaconis,Arelatensium ciuitatem peruenit.Vbi cum prouincias inter sodales partiretur, & Lucianum ad Beluacenses, Marcellum ad Bituricenses,& alios aliò dimitteret:Eugeniũ Toletanis,qui sunt in Hispania,episcopũ destinauit. Eugenius postquam urbem prouinciámque Toletanam ad Christum ueramque pietatem perduxit,& uerbo, miraculis,ac exemplo satis confirmauit:Dionysium reuisere percupiens, Gallias repetiuit.Milliaria circiter quatuor distabat ab urbe Parisiorũ uilla siue uicus Diolo,ubi comprehensus Eugenius à christiani dogmatis hostibus, quòd Christum se colere dixit,interrogatus,quasi mali instituti magister interficitur.Sed nec occidisse fuit satis grassatoribus impijs:corpus ne à christianis in honore haberetur,in lacum præcipitarunt:ubi multos annos latuit,non audentibus christianis extrahere.Nulla tamen ualuit diuturnitas illud corrumpere.Siquidem cessante gentilium in christianos bello sanguinario,Horcoldus quidam oraculo monitus,corpus quasi recens mortuum inuenit: & in æde sancti Dionysij sepeliuit.

Apostolatum) Id est,legationem apostolicam. *Bello sanguinario*) Sæuo & crudeli.

ACISCLVS ET VICTORIA.

CVm Dion præses carceres,sæuos cruciatus, mortem denique,Cordubæ christianis indiceret,ni sacra continuo facerent dijs:Acisclus & Victoria sunt ibi reperti,adeo strenui ac fortes in asserenda christiana religione,ut ad præsidẽ ducti, nihil se facere iussa principum,audaciter prædicarent. Quibus Dion admiratus,uos ne dixit,estis,qui sacra deorum contemnitis?Præstamus nos inquit Acisclus,Christo deo debitam seruitutem,nõ autem dæmonibus,surdísque lapidibus.Erubuit

præses

præses ob tam audax responsum, & in ima carceris eos cōtrudi præcepit. Postera die producti cum in caminum ignis præcipitarentur, ab angelis excepti laudes diuinas personabant. In fluentum cum saxis ingentibus protrusi, enatant psallentes, & uocem angelicam audiunt, irrita suorum clientum nō fore uota. His Dion perceptis rotas iubet afferri, ignem sub rotis accendi, oleum desuper infundi. Acisclus & Victoria circumactis rotis certe cassabantur: sed precibus instabant supplices, ut ignis extingueretur, ne uictoria Dion exultaret. Itaque subito prorūpens flamma quamplurimos ethnicos interemit. Dion cum uinci tormentis omnino diffideret: sagittis Victoriam confecit, & Acisclum iugulauit.

Indiceret) Publice denunciaret, & per edictum interminaretur. *Cassabantur)* Contundebantur.

ELISABELLA.

ELisabella regis Vngarorum filia quamuis molliter est ac indulgenter nutrita, tamen imbuta fide christiana, magnā semper totius uirtutis, sed maxime charitatis ac misericordiæ indolem præse tulit. Pauperes, qui ianuam regis frequentabāt, munusculis impertiebatur, quò sibi redderet eos obnoxios, & ad Deum precibus solicitandum, potissimum obligaret. Nubilis tamen, ne regius sanguis superbáque maiorum stemmata inficerentur, aut potius interirent, Turingorum duci matrimonio iuncta est. Quem sicuti Sara Abrahā dominum coluit, & semper quantum decuit, obediuit. Alteram cerneres in ea Magdalenam humilitate prostratam, lotioni pauperum insistentem: quorum pedes instar pedum domini lachrymis lauabat: uelamine capitis extergebat. Obsculabatur pedes, & ulcera leprosorum, nec à pietatis officio regias delicatásque nares pestilens odor auocabat. Hanc Gregorius nouus nimium fouit, apostolicóque fauore uiuendi eius institutum prosequutus est. Tandem uitæ curriculo fœliciter peracto, moriturам se cito

familiaribus prædixit: & inter diuina colloquia, reparatoriſque noſtri repetitos agones, ſpiritum cœlo reddidit.

Indole) Significatione. *Præ ſe tulit*) Oſtendit. *Stemmata*) Inſignia & imagines nobilitatis. *Auocabat*) Abſtrahebat. *Repetitos agones*) Cum legitur paſsio Chriſti ex euangelijs, recenſentur ac repetuntur agones, hoc eſt cruciatus quos pertulit Chriſtus, itaque inter colloquia diuina & inter lectionem euangelij de morte Chriſti, expirauit Eliſabella.

ROMANVS ET COMITES.

Diocletiano & Maximiano res romanas agentibus, Aſclepiadem præfectum Antiochiæ, eccleſiam *irrumpere, totámque euertere conantem, monachus nomine* Romanus *cohibuit, continuit, ac ſuffrenauit: et ad ſuppetias eundum eccleſiæ, cæteros chriſtianos cohortatus eſt. Aſclepiades grauiter ferēs, à monacho ſe fuiſſe ſuggillatum, prætorio ſiſti illum præcepit: & Chriſtum audaciſsime profitentem, eculeo torqueri, plūbatis deinde ac fuſtibus cædi. Sed illa* Romanus *omnia tormenta fortiter tulit, & fidei armamentis ſuperauit. Euocat ad hæc* Romanus *puerum, qui per nomen Chriſti adiuratus: utrum præſtabilius duceret, unum, aut plures deos adorare: ut ex relatione & ſententia pueri præfectus confunderetur, unum adorandum ac ſuſpiciēdum Deum, aſſeruit. Quare grauiſsime cōmotus Aſclepiades, uirgis cæſum puerum, ſecuri percuſsit. Erat puero nomen* Baralas. *Tum* Romanus *eculeo rurſus extenditur, & unguibus exaratus in rogum ardentem conijcitur: ille tamen precibus obtinet, ut imber repentinus ignem diſpergat, ac prorſus extinguat. Lingua iam ei præciditur, & cum nihilominus Chriſtum expedite uocéq; clara collaudaret, recluſus in carcere laqueo ſtrangulatur.*

Ad ſuppetias eundum) Ad auxilium & ſubſidium præſtandum, elegans locutio, vt per accuſatiuum enuntiemus ire ſuppetias, eſt etiam verbum ſuppetiari, quod eſt auxiliari. *Suggillatum*) Ignominiâ notatum. *Prætorio ſiſti*) Præſentari. *De eculeo & plūbatis*)

latis) alibi diximus. *Securi percußit*) Morte affecit. *Strangulatur*) suffocatur.

CAECILIA.

Caecilia uirgo romana illud euangelicum sub pectore uersans: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: quasi soli sibi sermo competeret, euangelicam agere uitam sine mora constituit. Diebus ac noctibus à *colloquijs rebúsque diuinis non cessabat, percupiens à* Deo *uirginitatis impetrare perpetuæ dignitatem.* Hæc *Valeriano iuueni erat desponsata: qui quòd perditè deperibat eam, nuptijs dicere diem, properauit. Aderat genialis dies, in quo diua Caecilia ad sponsum erat traducenda: & cum omnia mellifluis concentibus personarent, illa Christo uero marito decātabat:* Fiat *domine cor meū & corpus meum immaculatū: ut non cōfundar. Ingruente denique nocte, cū in cubiculū maritus & uxor conuenissent, persuadere Cæcilia sponso contendit: angelū habere se amatorem: multa minitando, si pollueret: multa rursus pollicendo, si uirginē intactámque seruaret. Quid multis? Valerianus instinctu* Dei *credidit & baptizatus est: atque eius in teruentu postea frater Tyburtius. Post martyrium igitur Tyburtij & Valeriani, de quo alibi meminimus, Almachius urbis præfectus non ualens eorum magistram Cæciliam à Christo deuocare, flammis exuri, post, quia nihil lædebat ignis, iubet cō festim decollari. Cæterum spiculator tertio non ualens ictu caput amputare (legéque cautū erat, ne quis quartū feriretur) Cæciliam semiuiuam reliquit. Quæ triduo, quo superuixit, quā plurimos christianos fecit: & ad Vrbanum pontificem, tradēs eos commendandos: ad hoc, inquit, triduum mihi quasi inducias popoſci: ut has tibi animas committerem.*

Sub pectore versans) Intra pectus vertens agitans atque cogitans. *Dicere diem*) Præscribere & cōstituere diem. *Genialis dies*) Voluptarius & ad delitias repertus. Dies coniugalis & maritalis

ritalis dicitur genialis, ſicuti lectus genialis, qui nuptijs ſternitur, à genio Deo voluptatis, cui dies ille & torus dicatus eſt. *Ingruente*) Incipiente. *Inſtinctu*) Commotione. *Eius interuentu*) Ipſo interueniente. *Spiculator*) Carnifex.

CLEMENS.

Clemens uir romanus in Cœlio monte natus, Cleto in pontificatu succeßit. Nam licet à Petro fuerit ipſe deſtinatus ſucceſſor, pro ſua tamen modeſtia linum primo, mox Cletum ſibi honore prætulit. Huius tam eximiæ fuere uirtutes, tãta prædicandi uerbum Dei uis ac facultas, ut populus romanus in diuerſa ſciſſus ſtudia, tumultuaretur, alijs Clementis geſta efferẽtibus, alijs magum appellantibus : & ni ſacrificia cultúmque debitum præſtaret dijs, morte multandum cenſentibus. Publius Torquatus urbis præfectus ſeditionem cupiens cõponere: poſtea quam non potuit Clementem iam prece iam minis à propoſito ſeuocare: Traianum imperatorem fecit per literas certiorem, qui continuo reſcripſit, aut ſacrificijs deorũ Clementẽ admouendum, aut in exilium trudendum. Deportatus igitur Clemens in inſulam, in qua duo millia chriſtianorum ſecãdis marmoribus erant adhibita: quibus difficilis admodum & laborioſa erat aquatio, agnum tumulo ſtantem uidit: ad quem religione tactus accedens, ſub eius dextro pede ſcaturientem undam inuenit: qua piorum turba nimium refocillata eſt. Ethnici miraculo tanto permoti quam plurimi, chriſtianam pietatem ſunt amplexati. Quare Traianus iratior Clementi factus, in mare deijci præcepit, anchora ad collum ſuſpenſa, quo facilius ad ima deprimeretur. Haud ita tamen multo poſt corpus ad littus delatum ſecus fontem, ab eo repertum, ſepultum eſt. Sedit in Barionæ ſede diuus Clemens annos nouem: & martyrio affectus eſt, Traiano tertium iam annum imperante.

Aquatio) Aquæ deportatio. *Religione tactus*) Religioſe motus. *Scaturientem*) Manantem. *In Barionæ ſede*) In ſede Petri qui Bariona dictus eſt vt alibi notabimus.

CHRYSOGONVS.

Chrysogonus Diocletiani *Cæsaris imperio sub arctißima* Romæ *custodia biennio fuit, soláque* Anastasia *inuēta est, quæ miseriam eius, literis eleganti stilo scriptis, alleuaret: ut quæ ab eo didicerat, esse christiana. Ipse quinetiam postea diuam Anastasiam epistolis fouit ac subleuauit: admonens sæpissime, carceris squallorem ac inediam, quibus erat à uiro mancipata, ut æquo ferret animo: Iesum suis neutiquam defore cultoribus.* Diocletianus *autem christiano nomini infestißimus,* Chrysogonum *tandem euocat: defert ei ultro præfecturam, defert consulatum, honores, quos maiores eius gesserant, dum sacrificet dijs. Cui* Chrysogonus *unum refert* Deum *suspiciendū, adorandum: deos autem gentium, quos dæmonum sciret receptacula, explodendos, detestandos.* Non tenuit Diocletianus *iram, sed ad* Scalas *mox iußit* Gemonias Chrysogonum *trahi, & ibi trucidari. Corpus in profundum pelagi deiectum, ad saltus (sic uocant) repertum est.* Zoilus *presbyter undis iactatum excepit, & suos intra penates sepeliuit. Caput etiam oraculi uoce repertum, corpori adiunxit.*

Adscalas Gemonias) Gemoniæ scalæ dicebatur Romæ locus abrutus, ad quem corpora damnatorum tracta præcipitabātur: quod plane dedecorosum erat. Gemonias dictas uolunt ab autore, uel potius à gemitu & calamitate.

CATHARINA.

Catharina uirgo ægyptia Costi *regis filia rerum fuisse diuinarum adeo perita traditur, ut responsis eius de uera religione, ac unius* Dei *cultu nihil eruditius, nihil doctius haberetur. Cum* Alexandriæ, *quæ eius erat natale solum, christianus quidam* Maxentij *Cæsaris iussu, cuius fuit in christianos immanis sæuitudo, traheretur ad supplicium: non potuit uirgo regia linguam temperare, quin* Maxentium *uocitaret sæuum, sacrilegum, impium, quoad & ipsa custodiri iussa est. Iam*

uerò cum postea produceretur in medium : ita de rebus fidei cælitus afflata disseruit, ita Deos gentium sapientißime confutauit, ut miratus Maxentius pondus ac elegantiam uerborum, quadraginta sapientiæ professores aduocauerit, qui cum ea de rebus diuinis disceptarent. Admodum fuit erudita illa uerborũ conflictio: sed tandem uehemens diuináque uirginis oratio superior fuit, uictique doctores Christum Deum crediderunt: & simul cum uxore Maxentij, ac Porphyrio eiusdem principis necessario supplicio affecti sunt, flammáque consumpti. Catharina squallore carceris affligitur, ac longa inedia maceratur. Tum uerò scorpionibus durißime cæditur: & cum non demutaret animum, horrenda rotarum machina dilaniatur: sed fractis cum strage circumfusi populi rotis, capite tãdem plectitur. E sectura capitis diuæ Catharinæ lac fusum pro sanguine terram uberius irrorauit. Angeli corpus per aera uectum in Sina monte Arabiæ collocarunt: ubi miraculis diu claruit, et celebri nunc templo clarescit.

Verborum conflictio) Concertatio. *Squallore*) Sordibus & pædore. *Inedia*) Fame.

LINVS.

Linus genere tuscus, cui pater Herculaneus fuit apostolo Petro in pontificatu succeßit: quamuis quidam Clementem Petro subijciant, Lino & Cleto præmißis. Nam Petrus cum in humanis ageret, Linum & Cletum collegas, omniũque munerum consortes designauit. Clemens etiam, quem Petrus successorem in ultimo digressu sibi dixerat, uiuentibus Lino et Cleto, pontificis functione abstinuit. Linus igitur instituit, sed ex arbitrio imperióque Petri (ut plerique autumant) ut mulieres uelato capite templum ingrederentur. Linus acta Petri scripsit, & in his certamen, quod cum Simone mago habuit. Multa Linus sanctitate claruit, immundos ab humanis corporibus spiritus fugauit, uita functos suscitauit. Sed à Saturnino cõ-

sule

ſule tandem interfectus eſt. Siquidem cum frequentiſsimis mira culis Linus *multos traduxiſſet ad Chriſtum, & ſimul Saturni ni conſulis filiam, quam à dæmonio liberauerat: uarijs eſt cru ciatibus affectus, ac demum iugulatus. Corpus & ſi tunc in* Va*ticano ſepultum eſt, Gregorius tamen oſtiēſis epiſcopus* Oſtiā *longo poſt tempore tranſtulit: & in eccleſia primaria,* Lau*rentio dicata, ſepeliuit.*

Genere tuſcus) Tuſcia regio celebris Italiæ, in qua ſunt ciuitates Florentia, Luca, Piſæ, Senæ, Aretium & Aſsiſium. *Vita functos*) Defunctos qui vita functi iam ſunt: *Vaticanus*) Collis & regio. Romæ in qua eſt petri Baſilica.

FACVNDVS ET PRIMITIVVS.

D*Vm amens romanorum principum furor cūctos ubique mortales ad dijs exhibenda libamina compellebat,* Atti*cus in* Hiſpaniam *prætor miſſus, ſæuitiam pluſquam inhumanam in chriſtianos exercebat.* Nam *cum in* Gallecia *conueni re omnes edixiſſet, ad ſacrificandum: &* Facundus *ac* Primiti*uus, uiri pietate inſignes galleciȷ ſanguinis, die conſtituto non adfuiſſent: uinciri, ſibique ſiſti præcepit.* Precibus *primo tentā tur promiſsiſque, tum minis ac terroribus: ſed cum utrūque con temnerent, tormentis ſunt adhibiti.* Quæ *uiriliter etiam perfe rentes, gratias agebant* Deo: *quòd martyriȷ eos palma dignaretur.* Coniecti *ſunt in carcerem, ſed cum oblatum à prætore blanditias iterum tentante, cibum deſpicerent, producti, & in caminum ardentem ſunt demiſsi.* Diuinitus *tamen ſeruati, inco lumes euaſere.* Præſentaneum *propinari eis uenenum* Atticus *iuſsit.* Quod *uiri uere fortes accipientes, & ſi nobis, inquiunt, hac erat potione abſtinendum, ſigno tamen crucis armati, intrepidi hauriemus.* Ita *nihil eis nocuit uenenum: ſed potius red didit lætiores.* Poſt *multa præterea ſuperata ſupplicia, quidam ethnicus in media proclamauit turba, duas ſe uidere coro nas ab angelis deferri, & capitibus piorū imponi.* Quod *præ*

tor accipiens, capite, inquit, amputentur, ne sit locus coronis. Lac tamen é plagis cum sanguine simul manasse, summo cunctis miraculo fuit.

Sibique fisti) Præsentari constitui. *Dignaretur*) dignos indicaret. *Præsentaneum venenum*) Præsentaneum venenum dicitur, quod statim necat, præsentaria remedia quæ illico sanant: præsentaria pecunia, quæ præsens numeratur.

SATVRNINVS.

SAturninus urbis Tolosæ episcopus rem christianam, Decio Cæsare imperante, plurimum auxit, maximásque gentium superstitioni tenebras offudit. Nam cum bonus antistes in ecclesiam tunc modicam itaret, & tolosanum capitolium inter domum eius & ecclesiam medium interiaceret: responsis soli tis deos, quoties transiret, priuabat, ac mutos omnino redebat. Quod longa diuturnáque obseruatione tolosani ciues intelligentes, Saturninū corripuerunt, & in arcem capitolinā traxerunt: ubi magnis uociferationibus comminati sunt, ni more patrio sacrificaret, interfecturos. At ille Deo uero non autem dæmonibus ac truncis immolaturum se, constanter affirmauit. Quare alligantes pedes eius malesuada plebs ad latera uictimarij tauri, concitarunt taurum. Ille per scalas capitolij præcipitatus, Saturninum distraxit, caput eius illisit, cerebrum excussit, ac penitus discerpsit. Fœminæ tamen christianæ corpus quā tumuis dilaniatum sepeliere. Hoc ipso die Saturninus alter & Sisinnius Romæ sub Maximiano, quòd idola deprecabundi cōminuissent, & ad Christum quamplurimos perduxissent, martyrio sunt affecti.

Tolosa) Oppidum Galliæ Narbonensis. *Itaret*) frequēter iret. *Capitolium*) Arx & templum sicuti Romæ. *Malesuada plebs*) Malesuadens. *Victimarij*) Qui victimis erat destinatus. *Deprecabundi*) Precibus intenti.

IOAN-

IOANNES MALDONATVS LECTORI.



Diuuximus vitis nostris cruciatus & horrenda supplicia mulieris septies ictæ:quo pij lectores intelligerent,diuum Hieronymum in referendis martyrum tormentis flores rethoricos, & verborum elegantiam non respuere, imò totas eloquentiæ vires nonnunquam explicare tanta verborum copia & hubertate,vt voluisse videatur,lectores admonere,qui libri essent illis notu diúque versandi, legendi ac introspiciendi,si vellent linguæ latinæ proprietatem, & natiuum candorē aliquando referre. Volat quippe tam alte, genúsq; dicendi sic adeo sublime constanter vbiq; tenet,vt innuat satis,cuiusmodi phrasim probet, & potissimum censeat amplectendam: arguens plane dissimulanter parum peritos, quòd desertis fontibus garriant in lacunis. Attendant itaque candidi lectores,quanta verborum proprietate & aptitudine, quantis elegantiæ leporibus,quanta varietate & copia genus tormentorum diuus Hieronymus discriminet,carnificum sæuitiam exaggeret:& tum plane cognoscent, truculentam tyrannorum rabiem in cruciandis martyribus non nisi verbis adaptis proprijsq; debere referri,sicuti viri sancti,qui martyrū seculo vixerunt, & quidam eorum martyres fuerunt,referendam,ac veluti fulminandam putauerunt. Nos quidem & si temperauimus stylum clericis inter sacra versantibus, & preces quotidianas ex officio persoluentibus:nihilominus tamen curauimus,vt noster labor commodus illis esset ad eruditionem, & romani sermonis peritiam:proptereáque admiscuimus etiā Paulum eremitam & Malchum monachum ex eodem Hieronymo,quo planius appareret,quam in vitis quibúsq; sanctorum elegantiam præstet,& orationis cultum atq; nitorem non deponat:mihíque beneuoli sint adolescentes præsertim initiandi:qui quamuis Hieronymi vmbram non assequor: conor tamen,à longe vestigia sequi,próque viribus ea comminisci atque componere,quæ mores exornent, & literarum studium iuuent,simúlque promoueant. Vale.

MVLIER SEPTIES ICTA.

ARGVMENTVM.

Vercellæ, maritus quidam vxorem innoxiam detulerat adulterij: conijcitur in carcerem vnà cum iuuene, quem accusarat maritus, admouentur tormenta. Iuuenis impatiens, confessus est, quod non admiserat. Mulier constanter negauit. Vterque damnatus ducitur ad suppliciũ, ille occiditur. Hæc sæpius icta vixit, demum admoto iugulo mucrone, visa est mori. Sublatũ cadauer reuixit. Huic, cum ad supplicium requireretur, Euagrius, ab imperatore libertatem suis precibus impetrauit. Lusit in hac epistola diuus Hieronymus artificio scribendæ historiæ, & stilũ tam scribendi desuetudine torpescentem, hac exercitatiuncula renouauit.

AD INNOCENT. DE MVLIERE SEPTIES ICTA.



Aepe à me innocẽti charißime postulasti, ut de eius rei miraculo, quæ nostra ætate acciderat, non tacerem. Cumque ergo id uerecunde et uere, ut nunc experior, negarem, méque assequi posse diffiderem, siue quia omnis sermo humanus inferior esset laude cœlesti, siue quia ocium quasi quædam ingenij rubigo, paruulam licet facultatẽ, pristini siccasset eloquij, tu econtrario asserebas in Dei *rebus non poßibilitatem inspici debere, sed animũ: neque posse eum uerba deficere, qui credidisset in uerbo.* Quid *igitur faciam?* Quod *implere non possum, negare non audeo. Super onerariã nauẽ rudis uector imponor.* Et *homo qui necdũ scalmũ in lacu rexi,* Euxini *maris credor fragoribus.* Nunc *mihi euanescentibus terris, cœlum undiq;, & undique pontus: nunc unda tenebris inhorrescens, & cæca nocte, nimborum spumei fluctus canescũt.* Hortaris *ut tumida malo uela suspendam, rudentes explicem, clauũ regã.* Pareo *iã iubenti, & quia charitas omnia potest, spiritu sancto*

cto curſum perſequente confidam,habiturus in utraque parte ſolatiū.Si me ad optatos portus æſtus appulerit, gubernator putabor.Si inter aſperos orationis anfractus,impolitus ſermo ſubſtiterit,facultatē forſitam requires,uoluntatē certe flagitare non poteris.Igitur Vercellæ Ligurū *ciuitas haud procul à radicibus* Alpiū *ſita,olim potens,nunc raro eſt habitatore ſemiruta.* Hanc *cum ex more conſularis inuiſeret,oblatam ſibi quandam mulierculam unà cum adultero (nā hoc crimen maritus impegerat) pœnali carceris horrore circundedit.* Neque *multo poſt cum liuidas carnes ungula cruenta pulſaret,& ſulcatis lateribus,dolor quæreret ueritatē,infœliciſſimus iuuenis uolens cōpendio mortis longos cruciatus uitare,dum in ſuum mentitur ſanguinē,accuſauit alienum:ſolúſque omnium miſer, merito iuſſus eſt percuti,qui non reliquit innoxiæ,unde poſſet negare.At uerò mulier ſexu fortior ſuo,cum eculeus corpus extenderet,& ſordidas fœtore carceris manus poſt tergū uincula cohiberent,oculis quos tantum tortor alligare non poterat,ſuſpexit ad cœlū,& uolutis per ora lachrymis.Tu,inquit, teſtis eſt domine Ieſu,cui occultum nihil eſt:qui es ſcrutator renis & cordis:non ideo me negare uelle,ne peream, ſed ideo mentiri nolle,ne peccem.At tu miſer homo,ſi interire feſtinas: cur duos interimis innocentes?* Equidem *& ipſa cupio mori, cupio inuiſum hoc corpus exuere, ſed non quaſi adultera.* Præſto *iugulum,micantem intrepida excipio mucronem,innocentiam tamen mecum feram.* Non *moritur,quiſquis uicturus occiditur.Igitur cōſularis paſtis cruore luminibus ut fera,quæ guſtatum ſemel ſanguinem ſemper ſitit, duplicari tormenta iubet,& ſæuum dentibus frendens,ſimilem carnifici minitatus eſt pœnam,niſi confiteretur ſexus infirmior,quod non poterat robur uirile reticere. Succurre domine* Ieſu,*ad unum hominem tuum complura ſunt inuenta ſupplicia. Crines ligantur ad ſtipitem, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, uicinus pedibus ignis apponitur, utrumque latus carnifex fodit,*

nec

nec papillis dantur induciæ:immota mulier manet,& à dolore corporis spiritu separato,dum conscientiæ bono fruitur,ue tuit circa se sæuire tormenta.Iudex crudelis, quasi superatus attollitur.Illa Deum deprecatur,soluūtur membra compagibus.Illa oculos ad cœlum tendit,quasi de cōmuni scelere alius confitetur.Illa pro confitente negat,& periclitans ipsa,alium uendicat periclitantem.Vna interim uox est,Cæde,ure, lacera,non feci.Si dictis tollitur fides:ueniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat,habeo iudicem meum.Iam lassus tortor suspirabat,ingemit:nec erat nouo uulneri locus.Iam uicta sæuitia,corpus quod laniarat horrebat.Extemplo ira excitus consularis:Quid miramini,inquit circunstātes, si torqueri mulier mauult, quam perire? adulterium certe sine duobus committi non potuit,& esse credibilius reor, noxiam ream negare de scelere,quam innocentem iuuenem confiteri.Pari igitur prolata in utrumque sententia,damnatos carnifex trahit,totus ad spectaculum populus effunditur,ut prorsus quasi migrare ciuitas putaretur,stipatis proruens portis turba dēsatur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput,truncúmque;in suo sanguine uolutatur cadauer.Post quam uerò ad fœminam uentum est,& flexis in terram poplitibus,super trementem ceruicem micans eleuatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis uiribus concitauit,ad primum corporis tactum stetit mucro letalis,& leuiter perstringens cutem,rasuræ modicæ sanguinem aspersit,imbellem manum percussor expauit,& uictam dexteram gladio marcescē te miratus in secundos impetus torquet.Languidus rursus in fœminam mucro delabitur,& quasi ferrum eam timeret attingere,circa ceruicem torpet innoxiā.Itaque furens et anhelans lictor,paludamento in ceruicem retorto,totas expedit uires,fibulam quæ chlamydis mordebat oras,in humum excussit,ignarúsque rei,ensem librabat in uulnus.En tibi (ait mulier) ex humero aurum ruit,collige multo quæsitum labore, ne pereat.

Prob rogo quæ est ista securitas? Impendentem non timet mortem: lætatur percussa, carnifex pallet, occuli gladium non uidentes, fibulam uident. Et ne parum esset, quod non formidabat interitum, præstat beneficium sæuienti. Iam igitur & tertium ictum sacramentum frustrauerat triuitatis. Iam spiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulū: ut qui secare non poterat, saltem premente manu corpori cōderetur. O omnibus res inaudita seculis. Ad capulum gladius reflectiiur, & uelut dominum suum uictus aspiciens, confessus est, se ferire non posse. Huc huc mihi triū exemplum puerorū, qui inter frigidos flammarū globos hymnos ædidere pro fletibus, circa quorum saraballa sanctamque cæsariem, innoxium lusit incendium. Huc beati Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis, prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide, omnium subeat mētibus, quæ iniquo damnata iudicio, spiritu sancto puerum replente saluata est. Ecce non dispar in utraque misericordia domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata absoluta per gladium est. Tandem ergo ad fœminam uindicādam populus armatur. Omnis ætas, omnis sexus carnificem fugat, & cœtu in circulum coeunte exclamat. Non credit pene unusquisque quod uidet. Turbatur tali nuntio urbs propinqua, & tota lictorum turma glomeratur. E quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat, erumpens, & caniciem immundam perfuso puluere turpans: Quin meū, inquit, o ciues petitis caput, me illi uic[...]rium datis? Si estis misericordes, si clementes estis, si uultis seruare damnatam: innocens certe perire non debo. Quo fletu uulgi concussus est animus, mœstusque se per omnes torpor insinuat, & mirum in modum uoluntate mutata: cum pietatis fuisset, quod ante defenderant, pietatis uisum est genus, ut paterentur occidi. Nouus igitur ensis, nouus percusor apponitur. Stat uictima Christo tantum fauente munita. Semel percussa concutitur, iterum repetita

petita quassatur, tertio uulnerata prosternitur. O *diuinæ potentiæ sublimanda maiestas, quæ prius fuerat quarto percussa, nec læsa ideo post paululum uisa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. Festinato sol cursu occasum petit: & misericordia domini, celeriore cursu naturæ nox aduenit. Subito fœminæ palpitat pectus, & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad uitam. Iam spirat, iam uidet, iam subleuatur, & loquitur. Iam in illam potest uocem erumpere. Dominus auxiliator meus: non timebo quid faciat mihi homo. Anus interim quædam, quæ ecclesiæ sustentabatur opibus, debitū cœlo spiritum reddidit: & quasi de industria ordine currente rerum, uicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhuc luce: in lictore diabolus accurrit, quærit cadauer occisæ: sepulchrum sibi mōstrari petit: uiuere putat, quam mori potuisse miratur.* Recens *à clericis cespes ostenditur, & dudum superiecta humus, cum his uocibus ingeritur flagitanti:* Erue *scilicet ossa iam condita. Infer nouum sepulchro bellum, & si hoc parum est, auibus ferisque lanianda membra discerpe. Septies percussa, debet aliquid plus morte perpeti.* Tali *ergo inuidia carnifice confuso: clam domi mulier refocillatur.* Et *ne forte creber medici ad ecclesiam commeatus suspicionis panderet uiam, cū quibusdam uirginibus ad secretiorem uillulam secto crine trā smittitur. Ibi paulatim uirili habitu ueste mutata, in cicatricem uulnus obducitur.* Et *ò uere ius summum, summa malitia: post tanta miracula adhuc sæuiunt leges.* En *quò me gestorum ordo pertraxit. Iam enim ad Euagrij nostri nomē peruenimus. Cuius ego pro Christo laborem, si arbitrer à me dici posse, nō sapiam.* Si *penitus tacere uelim, uoce in gaudium erumpente non possim. Quis enim ualeat digno canere præconio, Auxentium Mediolanis incubantem, huius excubijs sepultum, pene antequam mortuum romanum episcopum iam pene factionis*

laqueis irretitum:& uicisse aduersarios, & non nocuisse superatis? Verum hæc ipse equidem spatijs exclusos iniquis prætereo, atque alijs post me memoranda relinquo. Præsentis tantum rei fine contentus sum. Imperatorem de industria adit, precibus fatigat, merito lenit, solicitudine promeretur: ut redditã uitæ, redderet libertati.

ARGVMENTVM.

De ortu, vita, & obitu Pauli primi, ficuti putant Eremitæ, & quomodo fuerit sepult⁹ á diuo Antonio monacho. Tanta erat im exemplaribus varietas, vt appareat Hieronymum sæpius idem argumentum alijs tractasse verbis, aut alium exercendæ copiæ causa, hoc fecisse. Videtur & hæc Hieronymus exercitañ di ingenij gratia lusisse.

DIVI HIERONIMY PAVLI PRIMI EREMITAE VITA.



Nter multos sæpe dubitatum est: à quo potissimũ monachorum Eremus habitari cepta sit. Quidã enim altius repetẽtes ab Helia & Ioanne sumpsere principia: quorũ & Helias plus nobis uidetur fuisse propheta quã monachus: & Ioãnes prius cœpisse prophetare quã natus sit. Alij autẽ, in quã opinionẽ uulgus omne cõsentit, asserũt Antoniũ huius propositi caput: quod ex parte uerũ est. Nõ enim ipse tam ante omnes fuit, quã quod ab eo omniũ incitata sunt studia. Amarus uerò et Macarius discipuli Antonij, è quibus, superior magistri corpus sepeliuit, etiã nũc affirmãt Paulũ quendã Thebæũ principẽ rei huius fuisse, nõ nominis: quã opinionẽ nos quoque probamus: nõnulli & hæc & alia, prout uolũtas tulit, iactitãt: subterraneo specu crinitũ calcaneo tenus hominẽ fuisse: et multa alia q̃ persequi ociosum est incredibilia fingẽtes: quorũ quia impudens mendaciũ fuit, nec refellenda quidẽ sententia uidetur. Igitur quia de Antonio tã Græco quã Romano stillo diligẽter memoriæ

moriæ traditum est. Pauca de Pauli principio & fine scribere disposui: magis quia res omissa erat, quàm fretus ingenio. Quomodo autem in media ætate uixerit, aut quas sathanæ per tulerit insidias, nulli hominum compertum habetur. Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine fœlici cruore dānati sunt, multas apud Aegyptum & Thebaidam ecclesias tempestas sæua populata est. Votum tunc christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia cō quirens, animas cupiebat iugulare non corpora, & ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus dixit, uolentibus mori non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exēpla subiecimus. Perseuerantem in fide martyrem, & inter eculeū laminasque uictorē iußit melle perungi et sub ardentißimo sole ligatis post tergum manibus resupinari, scilicet, ut muscarū aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium iuuenili ætate florentem in amœnißimos hortulos præcepit adduci, ibique inter candentia lilia & rubentes rosas cū leni iuxtà murmure serperet riuus, & molli sibilo arborum folia uentus stringeret: super stratum plumis lectulum resupinari & ne se inde posset excutere blandis sertorum nexibus irretitum relinqui: quò cum recedentibus cunctis ad eū meretrix speciosa uenisset, cœpit delicatis stringere colla amplexibus: et quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare uirilia: ut corpore in libidinem concitato se uitrix impudica super iaceret. Quid ageret miles Christi? quò se uerteret? quem tormēta non uicerāt, superabat uoluptas: tandē cælitus inspiratus præcisam mordicus linguam in osculantis faciē expuit, ac sic libidinis sensum succidens doloris magnitudo occupauit. Per idē uero tempus quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidem, cum sorore sua iam uiro tradita post mortem amborum parentum in hæreditate locupleti. Paulus relictus est annorum circiter quindecim literis tā græcis quā ægyptiacis apprime eruditus,

ditus, mansueti animi, deum ualde amans: & dum persecutionis detonaret procella in uillam remotiorem & secretiorem secessit. Verum quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Sororis maritus cœpit prodere uelle, quem celare debuerat: non illum ut solent, uxoris lachrimæ, non communio sanguinis, nõ spectans cuncta ex alto deus ab scelere reuocauit. Ad hæc instabat crudelitas q̃ pietatẽ uidebatur imitari. Quod ubi prudentißimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolatur, necesßitatem in uoluntatem conuertit: ac paulatim procedens rursusque tãtundem atque idem sæpius faciens, repperit saxosum montem, ad cuius radicem haud grandis spelunca lapide claudebatur, quo remoto (ut est cupiditas hominum occulta cognoscere) auidius explorans, animaduertit intus grande uestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis uetus palma contexerat: fontem lucidißimum ostendens, cuius riuum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine eadem, quæ genuerat aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum mõtem haud pauca habitacula: in quibus scabræ iam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ uisebantur. Hunc locum ægyptiorum literæ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse ea tempestate, qua Cleopatræ iunctus Antonius est. Igitur adamato (quasi quod à deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cibum & uestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui imposßibile uideatur, Iesum testor & sanctos angelos eius, in ea parte eremi quæ iuxta Syriam Sarracenis iungitur: uidisse me monachos: é quibus unus xxx. iam annos clausus, ordeaceo pane & lutulenta aqua uixit. Alter in cisterna ueteri, quam gentili sermone Syri cubam uocant: quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc incredibilia uidentur eis, qui non crediderunt omnia posßibilia credentibus. Sed ut ad id redeam unde digressus sum: cum iam centeßimo decimotertio ætatis suæ anno bea

tus Paulus cœlestem uitam ageret in terris: & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur: ut ipse asserere solebat, hæc in mente eius cogitatio incidit: nullum ultra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium interius in eremo multo se meliorem, ad quem uisendum deberet properare. Illico erumpente luce uenerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire uelle quò nesciebat. Et iam media dies coquente desuper sole, feruebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens. Credo in deum meum, q; seruum suum, quem mihi promisit, ostendet: nec plura his. Conspicit hominem equo mixtũ, cui opinio poëtarum centauro uocabulum indidit. Quo uiso salutaris impreßione signi armat frontẽ: et heus tu inquit, qua in parte seruus dei hic habitat? At ille barbarum nescio quid frendens, & frangens potius uerba quã proloquens, inter horrentia ora, senis blandum quæsiuit alloquium: & dexteræ manus protensione cupitum indicat iter: & sic patentes campos uolucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verum hoc utrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an ut solet, eremus monstruosorum ferax animalium istam quoque gignat bestiam incertum habemus. Stupens itaq; Antonius, & de eo quod uiderat secum uoluens, ulterius progrediebatur, nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculum uidet aduncis naribus, fronte cornibus asperata: cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Et hoc Antonius infractus spectaculo, scutum fidei & loricam spei, ut fortis præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad uiaticum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito gressum preßit Antonius, et quisnã esset interrogans, hoc ab eo responsũ accepit: mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos uario delusa errore gentilitas, faunos satyrosq; & incubos uocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis cõmunem deum depreceris, quem pro salute

salute mūdi olim uenisse cognouimus: & in uniuersam terrā exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus uiator ubertim faciē lachrimis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria et interitu sathanæ. Simulque admirans q̄, eius posset intelligere sermonē, et baculo humū percutiens aiebat. Væ tibi Alexandria, quæ p̄ deo portenta ueneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxere. Quid nūc dictura es? bestiæ Christū loquuntur, & tu pro deo portenta ueneraris: nec dum uerba cōpleuerat, & quasi pennigero uolatu petulcū animal aufugit. Hoc ne cui ad incredibilitatem scrupulū moueat, sub rege Constantino uniuerso mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo uiuus perductus, magnum populo spectaculū præbuit. Et postea cadauer exanime ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum Antiochiam, ut ab imperatore uideretur, allatum est. Sed ut propositū persequar: Antonius cœpta regione pergebat, ferarum tantum uestigia intuens, & eremi latam uastitatem. Quid ageret, quò uerteret gradū nesciebat. Iam altera effluxerat dies: restabat unum, ut deseri se à Christo non posse confideret. Pernox secundas in oratione exegit tenebras: & dubia adhuc luce procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem ad radicem montis irrepere: quam secutus oculis, & iuxta speluncā cum fera abijsset, accedens, intro cœpit aspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus uisum. Verū ut scriptura ait, perfecta dilectio foras mittit timorem: suspenso gradu & anhelitu temperato callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusq; subsistens, sonum aure captabat. Tādem per cæcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidius properat, offenso in lapidem pede strepitum concitauit. Post cuius sonitum beatus Paulus ostiū, quòd patebat occludens, sera obfirmauit. Tunc uero Antonius pro foribus corruens usque ad sextam & eo amplius horam aditum precabatur dicens. Qui sim, unde, cur uenerim

nosti? Scio me non mereri conspectum tuum uidere: tamen nisi uidero non recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsiui & inueni: pulso ut aperiatur: quod si non impetro, hic moriar ante postes tuos: certe sepelies meum cadauer. Talia perstabat memorans, fixúsque manebat. Ad quem responsum paucis, ita reddidit heros. Nemo sic petit ut minetur: nemo cũ lachrymis iniuriã uel calumniam facit: & miraris si non recipiam? cum moriturus adueneris, sepeliam te. Sic arridens Paulus patefecit ingressum: quo aperto dum in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutauere nominibus. Gratiæ domino in commune referuntur. Et post secundum osculum residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est. En quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canicies. En uides hominem puluerem mox futurum: uerum quia charitas omnia substinet, narra mihi quæso, ut sese habeat hominum genus: an antiquis urbibus noua tecta consurgant. Quo mundus regatur imperio. An supersint, qui dæmonum errore rapiuntur. Inter has sermocinationes conspiciunt alitem coruũ in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolans integrum panem inter mirantium ora deposuit: post cuius abcessum: eia inquit Paulus, dñs nobis prãdium misit uere pius, uere clemens, uere misericors sexaginta iam anni sunt ex quo dimidij panis semper fragmentum accipio: uerum ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur deo gratiarum actione celebrata: super uitrei marginem fontis uterque consedit. Hic uero quis frangeret panem, oborta contentio pene diem duxit in uesperum. Paulus more cogebat hospitij. Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit inter illos, ut apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Deinde paululum aquæ concauis manibus prono in fonte ore libarunt: & immolantes deo sacrificium laudis, noctem transegere uigilijs. Cũque iam esset terris redditus dies: beatus Pau

lus

lus ad Antonium sic locutus est. Olim te frater in istis regionibus habitare sciebam: olim te conseruum meum mihi promiserat dominus. Sed quia dormitionis tempus aduenit: & quòd semper cupiebam dissolui & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ. Tu missus es à domino, qui humo corpusculum meum tegas. Immo terræ terram reddas. His Antonius auditis flens & gemens ne se desereret, atque ut comitem talis itineris acciperet precabatur. Et ille non debes inquit quærere quæ tua sunt: sed quæ aliorum. Expedit quidem tibi sarcina carnis abiecta, agnum sequi. Sed & cæteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exemplo. Quamobrem perge quæso, nisi molestum est: & pallium quod tibi Athanasius episcopus dedit, ad obuoluendum corpus meũ defer. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnopere curaret, utrum tectum putresceret cadauer an nudum: quippe qui tanto temporis spacio contextis palmarum folijs uestiebatur. Sed ut à se recedenti meror suæ mortis leuaretur. Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanasio & pallio eius audierat: quasi Christum in Paulo uidens & in pectore eiusdem deum uenerans, ultra nihil respondere ausus est. Sed cum silentio lachrimans osculatis eius oculis manibúsque ad monasterium quod postea à Sarracenis occupatum est, regrediebatur. Neque uerò gressus sequebãtur animum. Sed cum corpus inane ieiunijs seniles & anni frangerent, animo uincebat ætatem. Tandem defatigatus & anhelus ad habitaculum suũ perfecto itinere peruenit. Cui cum duo discipuli, qui ei iam longo tempore ministrare consueuerant, occurrissent, dicentes. Vbi tandiu moratus es pater? Respondit. Væ mihi peccatori qui falsi monachi nomen fero. Vidi Heliam: uidi Ioannem in deserto: & uere in paradiso uidi Paulum. Ac sic ore compresso manu uerberans pectus, ex cella pallium protulit. Rogantibúsque discipulis ut plenius quidnam rei esset exponeret, ait tempus loquendi, & tempus tacendi: tempus plangendi, &

tempus ridendi.Tunc egressus foras & nihil cibi quidem sumens,per uiam qua uenerat,regrediebatur:illum sitiens,illum uidere desiderans,illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim quod euenit,ne se absente debitum Christo spiritum redderet. Cúmque iam dies illuxisset alia, & trium horarum spacio iter remaneret:uidit inter angelorũ cateruas,inter prophetarum & apostolorum choros niueo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere:& statim in faciem procidẽs, sabulũ capiti superiaciebat plorans,atque eiulans aiebat,cur me Paule dimittis?cur abis in salutatus?tam tarde notus tam cito recedis?Referebat postea beatus Antonius,tanta se uelocitate quod reliquum erat uiæ cucurrisse,ut instar auis peruolaret:nec immerito.Nam introgressus speluncã,uidit genibus cõplicatis erecta ceruice, extensísque in altum manibus corpus exanime. Ac primũ & ipse eum uiuere credens,pariter orabat.Postquam uerò nulla ut solebat,suspiria precãtis audiuit: in flebile osculum ruens intellexit,quòd etiam cadauer sancti deum,cui omnia uiuũt,officioso gestu precaretur.Igitur obuoluto & prolato foras corpore, psalmis quoque ex christiana traditione cantatis,contristabatur Antonius,q sarculum, quo terram foderet,nõ haberet:fluctuánsque uario mentis æstu & secum multa reputans dicebat. Si ad monasterium reuertar, tridui iter est:si hic maneam,nihil ultra proficiam.Moriar ergo ut dignum est:& iuxta bellatorem tuum Christe ruens extremum halitum fundam. Talia eo animo uoluente,ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes,uolãtibus per colla iubis ferebantur.Quibus aspectis, primo exhorruit: rursúsque ad deum mentem referens,quasi columbas uideret,man sit intrepidus.Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt:adulantibúsque caudis circa pedes eius accubuerunt:fremitu ingenti rugientes ut prorsus intelligeret, eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere:arenámque certatim egerẽtes,unius

hominis

hominis capacem locum effodere: & statim quasi mercedem pro opere postularent: cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius pedésque lingētes: ut ille animaduerteret benedictionem eos præcari. Nec mora & in laudationem quoque Christi effusus, quòd muta quoque animalia deum esse sentirent, ait. Domine sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit: da illis sicut tu scis, & manu annuens eis, ut abirent imperauit. Cumq; illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros: & deposito eo in foueam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Postquam autem dies effulserat alia, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret: tunicam sibi eius uendicauit: quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipse texuerat: ac sic ad monasterium reuersus, discipulis ex ordine cuncta replicauit, diebúsque solennibus Paschæ & Pentecostes, semper Pauli tunicam uestitus est. Libet in fine opusculi interrogare eos, qui patrimonia sua ignorant: qui domos marmoribus uestiunt: qui uno filo uillarum insuunt prædia: huic seni nudo quid unquam defuerit? Vos gemma bibitis, ille concauis manibus naturæ satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne uilissimi quidem mancipij uestri indumētū habuit. Sed ē cōtrario illi pauperculo paradisus patet: uos auratos gehenna suscipiet. Ille Christi uestē licet nudus tamē seruauit, uos uestiti sericis indumentū Christi perdidistis. Paulus uilissimo puluere coopertus iacet resurrecturus in gloriā: uos operosa saxis sepulchra premūt cū uestris opibus arsuros. Parcite quæso uobis, parcite saltē diuitijs quas amatis. Cur & mortuos uestros auratis obuoluitis uestibus: cur ambitio uestra inter luctus lachrymásque non cessat? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro quicunque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui si dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam beati Pauli cū meritis eius quàm regum purpuras cum suis pœnis.

ARGVMENTVM.

Depinxit solitarium, depinxit celebrem, depingit hic captiuum & agitatum. Lusit & in hoc argumento, ingenij exercitãdi gratia. Cæterum veritatem lectionis apparet nõ casu sed studio alicuius accidisse.

DIVI HIERONYMI MALCHI CAPTIVI MONACHI VITA.



Vi naudi prælio dimicaturi sunt antè in portu & in tranquillo mari flectũt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & uncos præparant, dispositóque per tabulata milite pendenti gradu & labenti uestigio stare firmiter assuescunt: ut quod in simulachro pugnæ didicerint, in uero certami ne nõ perhorrescant. Ita et ego qui diu tacui, silere quippe me fecit metus cui sermo supplicium est, prius exerceri cupio in paruo opere, & ueluti quãdam rubiginem linguæ abstergere: ut uenire possim ad historiam latiorẽ. Scribere enim disposui si tamen deus uitã dederit, & si uituperatores mei saltẽ fugientem me, & clausum persequi desierint, ab aduentu saluatoris usque ad nostrã ætatẽ: id est, ab apostolis usque ad nostri tẽporis fecem: quomodo & per quos Christi ecclesia nata sit, & adulta, & persecutionibus creuerit, martyrijs coronata sit. Et postquã ad christianos principes uenerit, potentia quidẽ & diuitijs maior, sed uirtutibus minor facta sit. Verum hæc alias: nunc quod imminet explicemus. Maronias triginta ferme milli bus ab Antiochia urbe Syriæ haud grãdis ad oriẽtem distat uiculus. Hic post multos uel dños uel patronos, dũ ego adolescẽtulus morarer in Syria, ad pappæ Euagrij necessarij mei possessionẽ deuolutus est: quẽ idcirco nũc nominaui, ut ostenderẽ, unde nossem quod scripturus sum. Erat illic quidã senex nomine Malchus, quẽ nos latine regẽ possumus dicere, Syrus natione & lingua, & re uera eius loci indigena: anus quoque in eius

contubernio ualde decrepita,& iã morti proxima uidebatur. Tam ſtudioſi ambo religionis,& eccleſiæ limẽ terentes,ut Zachariã & Eliſabeth de euãgelijs crederes:niſi quòd in medio Ioãnes non erat. De his curioſe cũ ab accolis quærerẽ,quæ nã eſſet corũ copula matrimonij-ſanguinis an ſpiritus:uoce conſona omnes ſanctos,& deo placitos,& mira neſcio quæ reſpõdebant:qua cupiditate illectus adorſus ſum hominẽ,& curioſus ſciſcitans rerũ finem:hæc ab eo accepi. Ego inquit mi gnate in Maronenſi agello colonus parentibus ſolus fui:qui cũ me quaſi ſtirpem generis & hæredẽ familiæ ad nuptias cogerent,monachũ me potius uelle eſſe reſpondi. Quãtis pater minis,quantis mater blãditijs perſecuti ſunt,ut pudicitiã perderẽ,hæc res ſola indicio fuit,q. & domũ & parentes fugi. Et quia ad oriẽtem ire non poteram propter uicinã Perſidem,& romanorũ militũ cuſtodiã:ad occidentem uerti pedes,pauxillulum neſcio quid uiatici portãs,quod me tantũ ab inopia defenſaret. Quid multa? perueni tandẽ ad eremũ Calchidos,quæ inter Imam & Eſſam magis ad auſtrũ ſita eſt. Ibi repertis monachis eorũ me magiſterio tradidi,manuũ labore uictũ quæritãs,laciuiãq; carnis refrenãs ieiunijs. Poſt multos annos incidit mihi cogitatio, ut ad patriã pergerem. Et cũ adhuc uiueret mater(iam enim patrẽ mortuũ eſſe audieram)ſolarer uiduitatem eius: & exinde uenũdata poſſeßiuncula,partẽ erogarem pauperibus,et ex parte monaſteriũ cõſtruerem:Quid erubeſco infidelitatẽ meã confiteri? partem in ſumptuũ meorũ ſolatia reſeruarẽ. Clamare occœpit abbas meus diaboli eſſe tentationem,& ſub honeſtæ rei occaſione latere antiqui hoſtis inſidias:hoc eſſe reuerti canes ad uomitũ ſuũ. Sic multos monachorum eſſe deceptos: nunquã diabolũ aperta fronte ſe prodere. Proponebat mihi exempla de ſcripturis plurima:inter quæ illud abinitio,q. Adã quoque & Euam ſpe diuinitatis ſupplãtauerit. Et cũ perſuadere non poſſet,prouolutus genibus obſecrabat,ne ſe desererẽ,ne me perderẽ,ne aratrũ tenens,poſt tergũ reſpicerem. Væ miſe-

ro mihi, uici monitorē pessima uictoria, reputās illū non meā utilitatē, sed suū solatiū quærere. Prosequutus ergo me de monasterio quasi funus efferret, & ad extremū uale dicēs. Video te ait o fili sathanæ notatū cauterio: non quæro causas, excusationes nō recipio. Ouis quæ de ouili egreditur, lupi statim morsibus patet. De Betria ad Essam pergētibus uicina est publico itineri solitudo, per quā Sarraceni incertis semper sedibus huc atque illuc uagantur. Quæ suspicio frequētiā in illis locis uiatorū cōgregat, ut imminēs periculum auxilio mutuo declinetur. Erāt in comitatu meo uiri, fœminæ, senes, iuuenes, paruli numero circiter septuaginta: & ecce subitu equorū camelorūq; sessores Hysmaehelitæ irruūt, crinitis uittatisque capitibus, ac seminudo corpore, pallia & latas caligas trahētes: pendebāt ex humero pharetræ: & laxos arcus uibrātes hastilia longa portabāt. Nō enim ad pugnandū sed ad prædandū uenerant. Rapimur, dissipamur, in diuersa trahimur. Ego interim lōgo postliminio hæreditarius possessor, & sero mei consilij pœnitens, cū altera muliercula in unius heri seruitutē sortitus deuenio. Ducimur, immo portamur sublimes in camelis: & per uastā eremū semper ruinā timētes, pendemus potius quā sedemus. Cibus semicrudæ carnes, et lac camelorum potus erat. Tādem grādi amne trāsmisso, peruenimus ad interiorē solitudinē: ubi dominā eiusque liberos ex more gētis adorare iussi, ceruices flectimus. Hic quasi clausus carcere, mutato habitu nudus ambulare disco: nā aëris intēperies præter pudēda nihil aliud uelari patiebatur. Tradūtur mihi pascendæ oues, & in malorū cōparatione hoc fruor solatio, q; & dños meos & cōseruos rarius uideo. Videbar mihi aliquid habere sancti Iacob: Recordabar Moysi: qui & ipsi pecorū in eremo quondā fuere pastores. Vescebar recēti caseo & lacte: orabā iugiter: canebam psalmos, quos in monasterio didiceram. Delectabat me captiuitas mea. agebā dei iudicio gratias, q; monachū, quē in patria fuerā perditurus, in eremo inuenerā. O nihil unquā tutū apud diabolū

o multiplices & ineffabiles eius insidiæ,sic quoq; me latentem inuenit inuidia:dñs uidēs gregē suū crescere,nihilque in me de præhendēs fraudulentiæ:sciebā enim apostolū præcepisse,dñis sic quasi deo fideliter seruiendū:& uolēs me remunerare,quo fidū sibi magis faceret,tradidit mihi illā conseruā meā aliquan do captiuā.Ego cū refutarem,& dicerē me christianū:nec mi hi licere uxorē uiuentis mariti accipere,siquidē captus nobi- scū uir eius ab alio dño fuerat adductus.Ferus ille et implacabi lis in furorem uersus,euaginato me cepit petere gladio:& ni si festinus brachiū tendēs,mulierē præocupassem,illico effudis set sanguinem.Iam uenerat tenebrosior solitudo, & mihi ni- miū immatura nox:duco in speluncā semiruptā nouā coniugē: & pronubante nobis tristitia,uterque alterū detestamur,nec fatemur.Tunc uere sensi captiuitatē meā,prostratusque humi monachū cœpi plāgere quē perdebā dicens.Huccine miser ser uatus sum?ad hoc me mea scelera perduxerunt,ut incanescēte iam capite uirgo maritus fierē?Quid prodest parētes,patriā, rem familiarem cōtempsisse pro dño,si hoc facio,quod ne fa- cerem illa contempsi?nisi q, forte propterea hoc sustineo,quia rursus patriam desideraui. Quid agis anima,perimus an uincimus?expectamus manū dñi,an proprio mucrone confo- dimur? Verte in te gladiū:animæ magis mors timenda est,quā corporis. Habet enim seruata pudicitia martyrium suum:ia ceat insepultus Christi miles in eremo,ipse mihi ero & persecu tor & martyr.Sic fatus eduxi in tenebris quoque micantē gla dium:& acumine contra me uerso,uale inquam infœlix mu- lier:habeto me martyrem potius quam maritum.Tunc illa pe dibus meis prouoluta.Per ego te inquit Iesum,perq; huius ho- ræ necessitatem oro,ne effundas sanguinem tuum:uel si mori tibi placet,in me primum uerte mucronem:sic nobis potius cō iugamur.Si uir meus ad me rediret,seruarē castitatē,quā mea me captiuitas docuit:uel interirē,antequā perderē. Cur more ris,ne mihi iūgaris?ego morerer si mihi iūgi uelles.Habeto me

coniugem pudicitiæ:et magis animæ copulã amato quã corporis. Expectent dñi maritum, Christus nouerit fratrē. Facile persuadebimus nuptias, cũ nos uiderint sic amare. Fateor obstupui & admiratus uirtutem fœminæ, cõiugem plus amaui: nunquã tamen illius corpus nudũ intuitus sum, nunquam eius carnem tetigi, timēs in pace perdere quod in prælio seruaueram. Transeunt in tali matrimonio dies plurimi: amabiliores dominis nos fecerant nuptiæ: nulla fugæ suspicio: interdum & mēse toto aberam fidus gregis pastor per solitudinem. Post grande interuallũ dum solus in eremo sedeo, & præter cælũ terrãque nihil uideo: cœpi mecũ tacitus uoluere, & inter multa, monachorum quoque contubernia recordari: maximeque uultũ patris mei qui me erudierat, tenueratq; perdiderat: sic quoque cogitans aspicio formicarũ gregem angusto calle feruere: uideo ferre onera maiora quam corpora: aliæ herbarum quædã semina forcipe oris trahebant. Aliæ egerebant humũ de foueis, et aquarum meatus aggeribus excludebant: illæ uenturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbã horrea uerteret, illata semina præcidebant: hæ luctu celebri corpora defuncta portabant: & quod magis mirum est egrediens non obstabat intrãtibus: quin potius si quam uidissent sub fasce & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? mihi pulchrum spectaculũ dies ille præbuit: unde recordatus Salomonis ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis: cœpit tædere captiuitatis, et monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarũ similitudinem desiderare, ubi laboratur in mediũ: & cum nihil cuiusquam propriũ sit, omnia cõmunia sunt. Regresso ad cubile ocurrit mulier: tristitiã animi uultu dissimulare non potui: rogat cur exanimatus sim: audit causas, hortatur ad fugam, non aspernatur, peto silentium, fidẽ tribuit: & iugi susurro inter spem & metũ dubij fluctuamus. Erant mihi in grege duo hirci miræ magnitudinis: quibus occisis utres facio. Eorũque carnes uiatico præparo: & primo

mo uesperе putantibus nos dominis secreto cubitare, inuadimus iter, utres & partes carniũ portantes. Cũque peruenissemus ad fluuiũ (nam decem millibus aberat) inflatis & ascensis utribus, aquis nos credimus, paulatim pedibus subremigantes: & deorsum nos flumine deferente & multo longius quã cõscenderamus in alteram exponente ripam, ut uestigium sequentes perderent. Sed inter hæc madefactæ carnes & ex parte lapsæ uix tridui cibũ pollicebãtur. Bibimus usque ad satietatẽ futuræ nos siti præparantes: currimus, post tergũ semper respicimus. Et magis noctibus promouemus uel propter insidias late uagãtiũ Sarracenorũ, uel propter calorem solis: nimiũ pauco miser & referens, et iam securus toto tamẽ corpore perhorresco. Post diẽ tertiũ dubio aspectu procul aspicimus duos camelis insidẽtes uenire concite: statimque mens mali præsaga putare cœpit dñm meditari mortẽ, solẽ cernere nigrescentẽ. Dũque timemus et uestigio per arenã nos proditos intelligimus, offertur ad dexteram specus longe sub terram penetrãs, igitur timentes uenenata animalia (solent quippe uiperæ reguli & scorpiones & cætera huiusmodi feruorem solis declinantia umbras petere) intramus quidem speluncam, sed statim nos in ipso introitu sinistræ foueæ credimus, nequaquam ultra progredientes, ne dũ mortem fugimus, incurramus mortem. Illudque nobiscũ reputantes: si iuuat dñs miseros, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulchrũ. Quid putas tunc nobis fuisse animi? quid terroris? cum ante specum haud procul staret dñs et conseruus, & uestigio indice iam ad latebras peruenissent. O multo grauior spectata quam illata mors. Rursus cum labore & timore lingua balbutit, & quasi clamante domino mutire non audeo. Mittit seruum, ut nos de specu pertrahat, ipso camelos tenente, & euaginato gladio nostrum spectat aduentum. Interea tribus ferme uel quatuor cubitis introgresso famulo, nobis ex occulto terga eius uidentibus (nam oculorum istiusmodi natura est, ut post solem tenebras intrãtibus cæca sint omnia) uox

per

per antrũ sonat:exite furciferi,exite morituri:quid statis?quid moramini?exite,dñs uocat, patiẽter expectat. Adhuc loqueba tur et ecce p tenebras aspicimus leænã inuasisse hominẽ,et gut ture suffocato cruentũ intro trahere. Iesu bone quid tunc nobis terroris,quid gaudij fuit?expectabamus hostem nostrũ perire dño nesciente:qui cum uidet illũ moras facientem, suspicatus est,duos uni resistere,diuque iram ferre non ualens,sicut tene bat gladium ad speluncam uenit:& clamore rabido serui increpans socordiam,prius à fera detentus est,quam nostras latebras præteriret. Qui sunt,qui hoc crederent:ut ante os nostrum,bestia pro nobis dimicaret? Sublato autem illo metu,similis ante oculos nostros uersabatur interitus,nisi quòd tutius erat leonis rabiem,quam iram hominis sustinere. Pauemus intrinsecus.& ne mouere quidem nos ausi, præstolamur euentum rei,inter tanta pericula,pudicitiæ tantum conscientia pro muro septi. Leæna insidias cauens,& se uisam sentiens,matuti na effert luce catulos,nobisque cedit hospitio:neque tamen satis creduli statim erũpimus,sed expectantes diu,& egredi cogitantes,illius nobis semper figurabamus occursum. Sublato ergo terrore,illa transacta die eximus ad uesperam: uidemusque camelos,quos ob nimiam uelocitatem dromedarios uocant,præteritos cibos in ore uoluere,& in aluum missos iterũ retrahere:quibus ascensis noua sitarcia refocilatis,decima tandem die ad Romana per desertum castra uenimus: oblatique tribuno rẽ ordine pãdimus. Inde trãsmissi ad Sabinũ Mesopotamiæ ducẽ,camelorũ preciũ accepimus: & Iã abbas ille meus dormierat in dño,ad hæc delatus loca me monachis reddo,hãc trado uirginibus diligẽs eã ut sororẽ. Non tamen ei me credẽs ut sorori. Hæc mihi senex Malchus adolescentulo retulit,hæc ego uobis narraui senex,et castis historiam castitatis expono: uirgines castitatẽ custodire exhortor. Vos narrate posteris,ut sciãt inter gladios,inter deserta & bestias pudicitiã nũquã esse captiuã:et hominẽ christo deditũ posse mori,nõ posse superari.

IOAN-

IOANNES MALDONATVS PRO ANTONIO ROGIO INDIARVM PRImo Patriarcha, Burgensique episcopo ad clerum Burgensem.



Mos fuit olim apud maiores, nostro nondum æuo desitus, imo plerisque in regionibus nunc maxime frequentatus: nascentis anno principio symbolia leuiáque munuscula inter necessarios & amicos intercedere, protensisque xenio lis faustum fœlicémque annum alijs alios ominari, festos ac lætos dies inuicem denunciare. Significantes uidelicet eo pacto mutuam beneuolentiam & amorem singularem. Quare sum me sum gratulatus, occasionem mihi dari, pontificatus annique principio uestram beneuolentiam, fraternamq; charitatem lepido xeniolo, pignoreq; non insulso demerendi. Offendi quippe, cum fauentibus superis, hunc sum nuper pontificatum auspicatus, inter manus typographorum epitomen, uel si mauultis appellare breuiarium, à Ioanne Fonseca præcessore meo potißimum elaboratum, & à meis fratribus Decano & collegis expensum ac cōprobatum, iam fere formulis excessum. Quod cum euoluerem ac discuterem, singulaque in eo pensitarem, dignum profectò censui, quod in uulgus meo nomine, meisq; prodiret auspicijs, atq; ultima manus ei imponeretur, ut uobis munusculum & gratiosum & aptum anni pontificatusq; principio destinarem. Nihil enim existimo gratius, nihil futurum uobis conducibilius: ijs præsertim, qui rite horarias per agere preces, quotidianaq; soluere uota pro sacro, quòd à Deo suscepistis ministerio studetis. Verum quoniam non dubito, cum libelli huius emolumenta, & usus quam commodissimos fueritis experti, quin xeniolum nostrum suspiciatis, ac faciatis maximi: nullum à uobis apophoretum, nullam grati animi significationem aliam posco nec desidero, quam ut

Hæc epistola primā breuiarij p gellā oc cupabat sed qui filiam t bus vir locabat, sublata est.

inter orandum nostri memineritis: Deum optimum Maximum precibus solicitantes, ut qui nos in terris pastoris fuerit cura dignatus immeritos, post uitæ cursum in cœlis inter electas cognitasque sibi oues recenseri, misericorditer etiam uelit. Cui uos mei fratres commendo.

Xeniolis) Mos fuit priscorum, vt hospitibus munera esculenta missitarentur, quæ xenia, id est hospitalia appellauerunt. *Apophoreta*) Dicuntur munera, quæ remittuntur ab ijs, qui xenia accepere. Sunt etiam apophoreta vasa & id genus alia, quæ conuiuis apponebantur, vt secum post conuiuium auferrent, donoque haberent.

IOANNES MALDONATVS COLLEGIS AC SODALIBVS SVIS *Carreræ & Laræ.* S.

Hac epistola breuiarium laudit: qua quidem vide possit interrogãs: oblatrãtum oraliter obstrui possunt.



Am opus exegimus, quod nec præsens liuor, ue ritus ne dentes infringat, audeat corrodere, nec tempus quamtumuis edax ualeat obliterare. Quæ obsecro tergiuersatio, quod obtendiculũ, quod uelamentum manet uel ipsimet inuidiæ: quin uelit nolit, fateatur, breuiarium nostrum undecúmque ab solutissimum? Quid posteri comminiscentur, quid inuestigabunt, quid adinuenient, quod non fuerit à nobis pẽsiculatius ani maduersum? Nos quidquid est in hoc libello ex nouo, ueteri ue instrumento desumptum, ad ueros suos archetypos Græcos, Latinos, Hebræos, *cum fide reduximus. Nos mendas, quarum ingens erat sylua, barbarismos, solœcismos expunximus, extirpauimus, confecimus. Nos fontes, unde singula emanarũt, marginariis indicimus aperuimus. Nos rubricis ac canonibus totum opus quasi uarijs gemmis sic condecorauimus, sic illustrauimus, ut nec cæcutienti sit offendiculum pertimescendum. Nobis usque adeo cautio fuit, ne parũ eruditi clerici impingerẽt,* ut me-

ut metus interdum suboriatur, ne nimios fuisse nos, arguamur. Atque ut cætera non sint, quæ non possunt esse non maxima: illud certe futurum nobis gloriosum, ibit inficias nemo. Sancto rum uitas in compendium redegimus: curauimusque, ut id præstaret liber, quod prima fronte pollicebatur. Breues erunt uitæ priorum, sed quæ satisfaciant lectori: non ut ante nostram editionem fragmenta, & quasi fabularum primi actus. Quid minus conuenit, quam breue id appellare, quod solum est inchoatum: cum uera ut breuitas, quæ rei summam contineat? Recte igitur epitome seu breuiarium deinceps compellabitur, quod diuorum uitas paucis, explicabit tamen. Ita quod recitanti nocturnas precationes bono clerico triplex accrescat emolumentum. Nam fœdus in sacra perunctione cum omnium creatore ictum, mysticaque initiatione pactum seruabit. Eius etiam, quem celebrat, diui sine maiori quopiam temporis dispendio dicet gesta, concipiet miracula, tenebit stratagemata. Ad hæc stylo non omnino protrito allicietur, excitabitur, oblectabitur: quo reliqua possit attentius susurramina per currere. Non igitur nos egregij mei comites in iuuandis nostris prouincialibus suscepti pœniteat laboris impensæque uigiliæ. Si leuem apud homines hoc pio munere gratiam inierimus, certa manebit spes, apud deum habituros mercedem tanto comulatiorem, quanto minus nobis gratos mortales fuerimus experti. Valete.

Fœdus in sacra perunctione cum omnium creatore ictum, mysticaque initiatione pactum) Cum sacris initiantur sacerdotes fœdus icere videntur cum deo, quod preces horarias quotidie dicent ac recitabunt. Itaque fœdus hoc & pactum seruabunt, precationes nocturnas recitando, quod erit primum emolumentum & cōmodum, tum discent sine dispendio temporis gesta & miracula eius diui, quem colunt & celebrant, præterea nonnihil excitabuntur stylo, ad reliquas preces percurrendas.

IOANNES MALDONATVS PRO IOANNE FONSECA BVRGENSI PRÆSULE AD CLERUM BURGENSEM.

Hæc epistola primam breuiarii pagellā erat occupatura, sed nō est emissa eo qđ Fōseca factofunctus est antequā typographi manū vltimā imponerent breuiario.



Vm nobis fratres dilecti cura uel maxima semper fuerit, singulis in ecclesijs ac diœcesibus, quibus Deus optimus Maximus nos præesse uoluit, clerum commißúmque populum reddere pro nostris uiribus meliorem, hisque rebus tyrones sacrificos instruere, quæ ad munus sacerdotale cultúmque diuinum maxime pertinent: haud equidem nunc cessandum putauimus in hoc celebri præsulatu, quem nobis iam senescentibus summa dei bonitas administrādum moderandúmque dedit. Ne cum in prima mediàque ætate nullis pastoralis partibus officij defuerimus, nullis in eo exercendo laboribus succubuerimus: obliti nunc nostri uideamur, & à more pristino alieni. Quare statim ab initio hoc honore, nihil maiori cura studuimus, nihil impensius laborauimus, quàm ut breuiarium, quod ab omnibus uno ore flagitabatur, exactum omníque ex parte absolutum imprimeretur. Erat siquidem quod ante nos formulis fuerat excussum, mendosum, uarium, atque incertum, in quo nulla pene forma, nullus rubricarum aliarúm ue rerum ordo: sed omnia confusa pleráque inuoluta, nonnulla repugnantia uidebantur. Quam obsecro rem homine magis dignam, presbytero propriam, episcopo necessariam facere nos cum primis oportuit: quā libros, sine quibus clericorum munus haud plene constat, detergendos, emendandos, & in meliorem formam redigendos curare? Nam uitæ sanctorum, quas in arctam breuémque summam contrahendis laborauimus: quantum habeant commoditatis ac emolumenti, rectius ac liberius iudicabunt ij, qui nostra legent, & præterita meminerunt. Proinde quando nullus nobis labor grauis est, nulla cura molesta, quominus canonibus ac rubricis illustrandis, atque denuo componendis

nendis(ne alia nunc inculcem)nostram operam impendamus: uobis etiam laborandum est,ne frustra nos contendisse uideamur. Quis enim est artifex tam insanus,tam mentis perditæ,qui omni non studio laboret ad suam quæ pertineant artem,prope nosse? Quod si in artificio quocunque doctrináque omni non negligitur:in sacrorum ministerio,quod deo exhibetur, quis negligendum sine piaculo summóque scelere putet? Accipite fratres igitur in domino Iesu Christo charißimi breuiarium ni mis,ut putamus,excultum,probe dilucidatum,satis exterfum. Et si quid erit forte,quod in eo nos fugerit,& in quo nostra diligentia requiratur:uestræ sit humanitatis æquitatísque, quoniam homines sumus, & maximis negotiorum molibus districti,penéque confecti:condonare,ac immēsis illis laboribus,qui nos in aula diutius exercuerunt,ascribere. Nam neque laudem ex recte factis commodéque excogitatis aliam nobis posci mus,aut desideramus,quàm ut inter ipsa diuina Orgia sacrãque Synaxin nostri memores sitis:Christo uero nos Deo commendantes,ut fragilitatis non immemor humanæ commißi gregis:tantique census in pauperes ac pios usus potißimum erogandi,rationem à nobis districte seueréque nõ exigat. Valete.

Inter orgia) Sacra quæ deo fiunt in ecclesia mane & vesperi.
Synaxin) Missam intelligit.

ARGVMENTVM.

Nepotiano, qui fuit Heliodori ex sorore nepos, præscribit uiuendi formam, quam clerici & episcopi sequi debeant, saluberrima quædam præcepta tradens, de spernendis diuitijs, & fugienda familiaritate secularium, & præcipue fœminarum. De doctrina pietatis, de frugalitate cultus, ædificiorum & uictus, de fugienda laude hominum, de fugienda obtrectatione: de fide silentij, de fugiendis muneribus, de dispēsandis in pauperes eleemosynis. Est autem genus parænetícum, in quo mire ualet diuus Hieronymus, sicut & in cæteris. Ex hac epistola multa citantur in decretis pontificum compluribus locis.

HIERONYMVS AD NEPOTIANVM de uita clericorum & sacerdotum.



Etis à me Nepotiane charißime literis transmarinis, & crebro petis: ut tibi breui uolumine digeram præcepta uiuendi, & qua ratione, qui seculi militia derelicta, uel monachus cœperit esse, uel clericus, rectum Christi tramitem teneat, ne ad diuersa uitiorum diuerticula rapiatur. Dum essem adolescens, imò penè puer, & primos impetus lasciuientis ætatis, eremi duricia refrenarem, scripsi ad auunculum tuum sanctū Heliodorū exhortatoriam epistolam, plenam lachrymis querimonijsq́; & quæ deserti sodalis monstraret affectū. Sed in illo opere pro ætate tunc lusimus: & calentibus adhuc rhetorum studijs atq; doctrinis, quædam scholastico flore depinximus. Nunc iam cano capite, & arata rugis fronte, & instar boum pendentibus à mento palearibus, Frigidus obsistit circum præcordia sanguis. Vnde & in alio loco idem poeta canit: Omnia fert ætas, animum quoq;. Et post modicum: Nunc oblita mihi tot carmina, uox quoque Mœrim, Iam fugit ipsa. Quod ne de gentili tantum literatura proferre uideamur, diuinorum uoluminum sacramenta cognosce. Dauid annos natus

tus septuaginta, bellicosus quondam uir, senectute frigescente, non poterat calefieri. Quaeritur itaque puella de uniuersis filiabus Israel Abisac Sunamitis, quae cum rege dormiret: & senile corpus calefaceret. Nonne tibi uidetur, si occidentē sequaris literam, uel figmentum esse de mimo, uel Atellanarum ludicro? Frigidus senex obuoluitur uestimentis, & nisi complexu adolescentulae non tepescit. Viuebat adhuc Bethsabee: superat Abygail, & reliquae uxores eius, et cōcubinae, quas scriptura commemorat. Omnes quasi frigidae repudiantur, & in unius tantū adolescentulae grādaeuus calescit amplexibus. Abraham multo Dauid senior fuit, & tamen uiuente Sara, aliā nō quaesiuit uxorem. Isaac duplices Dauid annos habuit: & cum Rebeca iam uetula nunquam friguit. Taceo de prioribus ante diluuium uiris, qui post annos nongentos, nō dico senilibus, sed penè iam cariosis artubus, nequaquam puellares quaesiere amplexus. Certe Moyses dux Israelitici populi, centū & uiginti annos habebat, & Sephoram non mutauit. Quae est igitur ista Sunamitis, uxor & uirgo: tam feruens, ut frigidū calefaceret: tam sancta, ut calentem ad libidinem non prouocaret? Exponat sapientissimus Salomon patris sui delitias, & pacificus, bellatoris uiri narret amplexus. Posside sapientiā: posside intelligētiā. Ne obliuiscaris, & ne declinaueris à uerbis oris mei. Neq; derelinquas illam, & apprehendet te: ama illā, & seruabit te, Principium sapientiae, posside sapientiam: et in omni possessione tua, posside intelligentiā: circunda illam, & exaltabit te: honora illam, & amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarū. Corona quoq; delitiarū protegat te. Omnes penè uirtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapiētia, decrescunt caeterae uirtutes, ieiunia, uigiliae, & eleemosinae, chameuniae: huc illucq; discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum, perseuerantia, uisitatio languentium, labor manuum, unde praebeantur eleemosynae. Et, ne sermonem longius protraham, cuncta quae per corpus exer-

centur, fracto corpore minora fiunt. Nec hoc dico, quod in iuuenibus & adhuc solidioris ætatis, his dũtaxat qui labore et ardentißimo studio, uitæ quoq; sanctimonia, & orationis ad dominũ Iesum frequentia, scientiã cõsequuti sunt, frigeat sapiẽtia, quæ in plerisq; senibus ætate marcescit, sed quod adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiua uitiorũ, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis uiridibus suffocetur, & suũ non poßit explicare fulgorẽ. Senectus uero: rursus eorum, qui adolescentiã suã honestis artibus instruxerunt, & in lege dñi meditati sunt die ac nocte: ætate fit doctior, usu tritior, pro cessu tẽporis sapientior, & ueterũ studiorum dulcißimos fructus metit. Vnde & sapiens ille uir Græciæ Themistocles, cum expletis centũ & septẽ annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur é uita, quando sapere cœpisset. Plato octogeßimo primo anno scribens, mortuus est. Et Iso crates, nonaginta & nouẽ annos, in docendi scribẽdiq; labore cõpleuit. Taceo cæteros philosophos, Pythagorã, Democritũ, Xenocratẽ, Zenonẽ, Cleanthẽ: qui iam ætate longæua, in sapiẽtiæ studijs floruerunt, ad poetas uenio, Homerũ, Hesiodum, Simonidem, Stesichorũ: qui grandes natu, cygneũ nescio quid, & solito dulcius, uicina morte, cecinerunt. Sophocles cũ propter nimiam senectutẽ & rei familiaris negligentiã, à filijs accusaretur amentiæ: Oedipi fabulã, quã nuper scripserat, recitauit iudicibus, & tantũ sapientiæ in ætate iam fracta specimẽ dedit, ut seueritatem tribunalium, in theatri fauorẽ uerteret. Nec mirum, cum etiam Cato censorius, romani generis dißertißimus, iam & senex, Græcas literas discere nec erubuerit, nec desperauerit. Certe Homerus refert, quod de lingua Nestoris, iam uetuli & penè decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit. Sed & ipsius nominis Abisac sacramentũ, sapientiã senũ indicat ampliorem. Interpretatur enim, pater meus superfluus, uel patris mei rugitus. Verbũ superflui ambiguũ est, sed in præsenti loco uirtutẽ sonat, quod amplior sit in senibus, et redundans, ac

larga sapientia. In alio autem loco superfluus, quasi non necessarius ponitur. Abisac autem, id est, rugitus proprie nuncupatur, cum maris fluctus resonat, & ut ita dicã, de pelago ueniẽs fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimũ, & ultra humanã uocem diuini sermonis in senibus tonitruũ cõmorari. Porrò Sunamitis in lingua nostra, coccinea dicitur: ut significet calere sapientiã & diuina lectione feruere, quod licet dominici sanguinis indicet sacramentum, tamen & feruorem ostendit sapientiæ. Vnde et obstetrix illa in Genesi coccinũ ligat in manu Phares, qui ab eo quod parietem diuiserat, duos ante populos separantem, diuisoris, id est Phares, sortitus est nomen. Et Rahab meretrix, in typo ecclesiæ resticulam mysteriũ sanguinis continentẽ, ut Hiericho pereũte, domus eius saluaretur, appendit. Vnde & in alio loco de uiris sanctis scriptura commemorat. Hi sunt, qui uenerunt de calore domus patris Rechab. Et dñs noster in euangelio: Ignem, inquit, ueni mittere in terrã, & quã uolo ut ardeat. Qui in discipulorũ corda succensus, cogebat eos dicere. Nónne cor nostrũ ardens erat in nobis, dũ loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Quorsum hæc tã longo repetita principio? Ne à me quæras pueriles declamationes, sententiarũ flosculos, uerborũ lenocinia, et per fines capitulorũ singulorum acuta quædã breuiterq́; conclusa, quæ plausus & clamores excitent audientiũ. Amplexetur me modo sapientia: & Abisac nostra, quæ nunquã senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, uirginitatisq́; perpetuæ, & quæ in similitudinẽ Mariæ cũ quotidie generet, semperq́; parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse & apostolũ: Spiritu feruentes. Et in euangelio dñm prædicasse, quod in fine mundi, quando iuxta prophetam Zachariam, stultus pastor esse cœperit, sapientia decrescente, refrigescet charitas multorum. Audi igitur, ut beatus Cyprianus ait, non diserta, sed fortia. Audi fratrem collegio, patrem senio, qui te ab incunabulis fidei, usq́; ad perfectam ducat ætatem, & per singulos gradus uiuendi

præcepta constituens, in te cæteros erudiat. Scio quidē ab auūculo tuo beato Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te & didicisse quæ sancta sunt: & quotidie discere: normamq; uitæ eius, exemplū habere uirtutum. Sed & nostra qualiacūq; sunt suscipe, & libellum hunc, libello illius copulato, ut cū ille te monachum erudierit, hic clericum doceat esse perfectum. Igitur clericus qui Christi seruit ecclesiæ, interpretetur primo uocabulū suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros Græce, sors Latine appellatur, propterea uocātur clerici, uel quia de sorte sunt dñi, uel quia ipse dñs sors, id est pars, clericorum est, Qui autem uel ipse par dñi est, uel dñm partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat dñm, & possideatur à dño. Qui dñm possidet, & cū propheta dicit: Pars mea dominus, nihil extra dominū habere potest. Quod si quippiā aliud habuerit præter dñm, pars eius nō erit dominus. Verbi gratia: Si aurū, si argentū, si possessiones, si uariam supellectilem, cum istis partibus, dñs pars eius fieri non dignabitur. Si autē ego pars domini sum, & funiculus hæreditatis eius: nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita & sacerdos uiuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione substentor, habens uictum & uestitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaq; te, et repetens iterumq; monebo, ne officiū clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, q̄ quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorū non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quàm fuerant seculares: & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo nō habuerant, ut suspiret eos ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulā tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit. Negociatorem clericum, & ex inope diuitem: ex ignobili gloriosum, quasi quandā pestem fuge. Corrumpunt mores bonos cōfabulationes pessimæ. Tu aurum

rum contemnis, alius diligit, tu calcas opes, ille sectatur, tibi cordi est silentiũ, mansuetudo, secretũ: illi uerbositas, attrita frons, cui nundinæ, fora placent & plateæ, ac medicorũ tabernæ. In tãta morũ discordia, quæ potest esse cõcordia? Hospitioluũ tuũ, aut raro, aut nunquã mulierũ pedes terant. Omnes puellas & uirgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonũ de possessione sua mulier eiecerit. AEgrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, uel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si huiuscemodi non fuerint consanguinitatis castimoniæq; personæ, multas anus nutrit ecclesia, quæ & officiũ præbeant, et beneficiũ accipiãt ministrãdo, ut infirmitas quoq; tua fructũ habeat eleemosynæ. Scio quosdã conualuisse corpore, et animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cuius uultũ frequenter attendis. Si propter officiũ clericatus, aut uidua à te uisitatur, aut uirgo: nunquã domũ solus introeas. Tales habeto socios, quorũ contubernio non infameris. Si lector, si acolytus, si psaltes te sequitur, non ornentur ueste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiã habitu polliceantur. Solus cum sola, secreto & absq; arbitro uel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendũ: habet nutricem maiorem domus, uirginem, uiduã, uel maritatã: non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caueto omnes suspitiones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & uestes ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces literulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delitias, & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdijs erubescimus, in seculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis et in clericis, quorũ & sacerdotiũ proposito, et proposi

tũ ornatur sacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis uiris ista formidem, sed quod in omni proposito, in omni gradu & sexu, & boni & mali reperiantur, malorũque condemnatio, laus bonorũ sit. Pudet dicere, sacerdotes idolorũ, mimi, & aurigæ, & scorta, hæreditates capiunt. solis clericis & monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur nõ á persequutoribus, sed à principibus christianis. Nec de lege cõqueror, sed doleo: cur meruerimus hanc legẽ. Cauteriũ bonũ est, sed quo mihi uulnus, ut indigeã cauterio? Prouida seueraq; legis cautio, & tamen nec sic refrenatur auaritia. Per fidei cõmissa legibus illudimus, & quasi maiora sint imperatorũ scita q̃ Christi, leges timemus, euangelia contẽnimus. Sit hæres, sed mater filiorũ, id est, gregis sui, ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit et pauit. Quid nos inserimus, inter matrem & liberos? Gloria episcopi est, pauperũ opibus prouidere. Ignominia omnium sacerdotum est, proprijs studere diuitijs. Natus in paupere domo & in tugurio rusticano, qui uix milio & cibario pane, rugiẽtem saturare uentrem poterã, nunc similã & mella fastidio. Noui & genera & nomina pisciũ, in quo litore conchalecta sit calleo: saporibus auiũ discerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouissime dãna ipsa delectant. Audio præterea in senes, & anus absq; liberis, quorundã turpe seruitiũ. Ipsi apponunt matulã, obsident lectũ, purulentiã stomachi, & phlegmata pulmonis, manu propria suscipiunt. Pauẽt ad introitũ medici, trementibusq; labijs an cõmodius habeant, sciscitantur, & si paululũ senex uegetior fuerit, periclitantur, simulataq; læticia, mẽs intrinsecus auara torquetur. Timent enim, ne perdant ministeriũ, & uiuacẽ senẽ, Mathusalẽ annis comparant. O quanta apud deũ merces, si in præsenti precium nõ sperarent. Quãtis sudoribus hæreditas cassa expetitur? Minori labore margaritum Christi emi poterat. Diuinas scripturas sæpius lege, imò nunquã de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas: obtine eũ qui secundũ doctrinã est, fidelẽ sermonẽ, ut possis

sis exhortari in doctrina sana,& cōtradicentes reuincere. Per*mane in his quæ didicisti,& credita sunt tibi,sciens à quo didiceris:* Paratus *semper ad satisfactionē,omni poscenti te rationē,de ea quæ in te est spe & fide.* Nō *cōfundant opera tua sermonē tuū: ne cum in ecclesia loqueris,tacitus quilibet respondeat,cur ergo hæc quæ dicis,ipse nō facis?* Delicatus *magister est,qui pleno uētre de ieiunijs disputat.* Accusare auariciam et *latro potest.* Sacerdotis Christi *os,mens, manusq; cōcordent.* Esto *subiectus pōtifici tuo,& quasi animæ parentem suscipe.* Amare *filiorū,timere seruorū est.* Si *pater sum,inquit,ubi est honor meus? Si dn̄s ego sum:ubi est timor meus?* Plura *tibi in eodē uiro obseruāda sunt nomina:* Monachus *pōtifex,auunculus tuus,qui te iā in omnibus quæ sancta sunt docuit.* Illud *etiā dico,quod episcopi sacerdotes se esse nouerint,non dn̄os,honorent clericos quasi clericos,ut & ipsis à clericis,quasi episcopis honor deferatur.* Scitū *illud est oratoris* Domitij: *Cur ego te,inquit,habeā ut principē:cum tu me nō habeas ut senatorē?* Quod *Aaron & filios eius,hoc episcopū & presbyteros esse nouerimus:* Vnus *dn̄s,unum tēplum,unum sit etiā ministeriū.* Recordemur *semper quid apostolus* Petrus *præcipiat sacerdotibus.* Pascite *eū qui in uobis est gregē dn̄i,prouidentes nō coacte,sed spontanee secundum deū,neq; ut turpis lucri gratia,sed uoluntarie,neq; ut dominantes in clerum,sed forma facti gregi ex animo,ut cum apparuerit princeps pastorum,percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.* Pessimæ *consuetudinis est in quibusdam ecclesijs,tacere presbyteros,& præsentibus episcopis non loqui,quasi aut inuideant, aut non dignentur audire.* Et *si alij,inquit apostolus* Paulus, *fuerit reuelatum sedenti:prior taceat.* Potestis *enim per singulos prophetare, ut omnes discant,& omnes consolentur,& spiritus prophetarum,prophetis subiectus est.* Nō *enim dissensionis deus,sed pacis.* Gloria *patris est filius sapiens.* Gaudeat *episcopus iudicio suo cum tales Christo elegerit sacerdotes.* Docente *te in eccle*

sia,

sia,non clamor populi,sed gemitus suscitetur.Lachrimæ auditorũ,laudes tuæ sint.Sermo presbiteri,scripturarũ lectione cõditus sit.Nolo te declamatorem esse & rabulam garrulumq; sine ratione;sed mysteriorũ peritũ,& sacramentorum dei tui eruditißimũ.Verba uoluere,& celeritate dicendi apud imperitum uulgus admirationem sui facere,indoctorũ hominũ est. Attrita frons,interpretatur sæpe quod nescit,& cum alijs persuaserit,sibi quoque usurpat scientiã.Præceptor quondã meus Gregorius Nazianzenus,rogatus à me ut exponeret,quid sibi uellet in Luca sabbatum δευτερόπρωτον,eleganter lusit:docebo te,inquiens,super hac re in ecclesia:in qua mihi omni populo clamãte,cogeris inuitus scire quod nescis.Aut certe si solus tacueris,solus ab omnibus stultitiæ condẽnaberis.Nihil tam facile,q̃ uilem plebeculã & indoctam concionẽ,linguæ uolubilitate decipere,quæ quicquid nõ intelligit,plus miratur.M.Tullius,in quem pulcherrimũ illud elogium est:Demosthenes tibi præripuit,ne esses primus orator:tu illi,ne solus : in oratione pro Quinto Gallo,quid de fauore uulgi,& de imperitis concionatoribus loquatur:attẽde,ne his fraudibus ludaris.Loquor enim,quæ sum ipse nuper expertus.Vnus quidã poeta nominatus,homo perliteratus,cuius sunt illa colloquia poetarũ ac philosophorũ,cũ facit Euripidem & Menandrũ inter se,& alio loco Socratẽ atq; Epicurũ differentes,quorum ætates nõ annis,sed seculis scimus esse disiunctas,quãtos is plausus & clamores mouet? Multos enim cõdiscipulos habet in theatro,qui simul literas non didicerãt. Vestes pullas æque deuita,ũt candidas.Ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt,quia alterum delitias,alterũ gloriã redolet.Nõ absq; amictu lineo incedere, sed preciũ uestium linearum nõ habere,laudabile est.Alioquin ridiculum & plenum dedecoris est,referto marsupio,quod sudarium orariumq; non habeas gloriari. Sunt qui pauperibus paulum tribuũt,ut amplius accipiant,& sub prætextu eleemosynæ quærunt diuitias,quæ magis uenatio apellanda est,quàm

eleemo-

eleemosynæ genus. Sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur & pisces. Modica in hamo esca ponitur, ut matronarũ in eo saculi protrahantur. Sciat episcopus, cui cõmissa est ecclesia, quẽ dispensationi pauperum curæq; præficiat. Melius est nõ habere quod tribuam q̃ impudenter petere quod recondã. Sed & genus arrogantiæ est, clementiorẽ te uelle uideri, q̃ põtifex Christi est. Non omnia possumus omnes. Alius in ecclesia oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, uẽter: & cætera. Lege Pauli epistolã ad Corinthios, quomodo diuersa mẽbra unum corpus efficiunt. Nec rusticus tamen & simplex frater ideo se sanctũ putet, si nihil nouerit: nec peritus & eloquens, lingua æstimet sanctitatem. Multoq; melius est è duobus imperfectis, rusticitatẽ sanctã habere, q̃ eloquentiã peccatricẽ. Multi ædificant parietes, & colũnas ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splẽdẽt laquearia, gẽmis altare distinguitur, et ministrorũ Christi nulla electio est. Neque uero mihi aliquis opponat, diues in Iudæa templũ, mẽsam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabãtur à dño, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redẽptio peccatorũ. Quanquã hæc omnia præcesserint in figura: Scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Nunc uero cum paupertatẽ domus suæ pauper dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus. Quid miramur quod Christus uocat iniquũ mãmona? Quid suspicimus & amamus, quod Petrus se nõ habere, gloriose testatur? Alioquin si tãtum literam sequimur, & in auro atq; diuitijs simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus & cetera. Ducant pontifices Christi, uxores uirgines: Quamuis bonæ mentis sit qui cicatricem habuerit, et deformis est, priuetur sacerdotio, lepra corporis, animæ uitijs præferatur. Crescamus & multiplicemur, & repleamus terram, nec immolemus agnũ, nec mysticum pascha celebremus, quia hæc absq; tẽplo, fieri lege prohibentur. Figamus septimo

mense

mense tabernaculum, & solenne ieiunium buccina concrepemus. Quod si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes, scientesq; cum Paulo, quod lex spiritualis est, et David uerba cantantis: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: sic intelligimus, ut dominus quoq; noster intellexit, et interpretatus est sabbatum, aut aurum repudiemus cum cæteris superstitionibus Iudæorum: aut, si aurum placet, placeat & Iudæi, quos cum auro, aut probare nobis necesse est, aut damnare. Conuiuia tibi uitanda sunt secularium, & maxime eorum, qui honoribus tument, Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoq; uescebatur alieno: lictores consulum, & milites excubare, iudicemq; prouinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris atq; subiectis, iudex seculi plus deferet clerico continenti, quàm diuiti: & magis sanctitatem tuam uenerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos p quibuslibet tribulatis nisi inter phyalas, libenter carebo huiuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro iudice, qui magis & citius subuenire potest, quàm iudex: Melius enim est confidere in domino, quàm cōfidere in homine. Melius est sperare in domino, quā sperare in principibus. Nunquam uinum redoleas, ne audias illud philosophi: Hoc non est osculum porrigere, sed uinum propinare. Vinolentos sacerdotes & apostolus damnat, & uetus lex prohibet. Qui altario deseruiunt, uinum & siceram non bibant. Sicera hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, siue illa quæ frumento conficitur, siue pomorum succo, aut cū faui decoquuntur in dulcem & barbaram potionē, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisq; frugibus, aqua pinguior coloratur. Quicquid inebriat, & statum mentis euertit, fuge similiter ut uinum. Nec hoc dico, quod dei à nobis creatura damnetur (Siquidem & dominus uini potator est appellatus: & Timotheo dolenti stomachum, modica

dica uini sorbitio relaxata est) sed modum pro ætatis, & ualetudinis & corporum qualitate exigimus in potando. Quod si absq; uino ardeo adolescentia, & inflammor calore sanguinis, & succulento ualidoq; sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspitio ueneni est. Pulchre dicitur apud Græcos, & nescio an apud nos æque resonet: Pinguis uenter, non gignit mentem tenuem. Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo nō uesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura uexatur, ut cibario non uescamur pane, & dum delitias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumq; naturā, aquam non bibere, nec uesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera, betarumq; succum, nō calice sorbere, sed coucha. Proh pudor, non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in delitijs quærimus. Fortißimum ieiunium est, aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua uiuimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur. Caue ne hominum tumusculos aucuperis: ne offensam dei, populorum laude commutes. Si adhuc, inquit apostolus, hominibus placerem, Christi seruus non essem. Desijt placere hominibus, & seruus factus est Christi. Per bonam famam & malam, à dextris & à sinistris, Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec uituperatione frangitur. Non diuitijs tumet, nō contrahitur paupertate, & læta contemnit et tristia. Per diem sol non urit eum, neq; luna per noctem. Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum, frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylateria, & cōscientia repugnante, pharisaica ambitione circūdari. Quanto melius erat hæc non in corpore, sed in corde gestare, &

re,& deum habere fautorem,non aspectus hominũ? Inde pen det euangelium,inde lex & prophetæ,siue sacra et apostolica doctrina. Melius est enim hæc omnia in mente portare, quàm in corpore: *Fidelis mecũ lector intelligis quid taceam,& quid magis tacendo loquar.* Tot te regulæ,quot species gloriarum percurrant. Vis scire quales dñs quærat ornatus? Habeto pru dentiã,iustitiã,tẽperantiam,fortitudinem. His cœli plagis in- cludere,hæc te quadriga,uelut aurigam Christi,ad metã con- *cita ferat.* Nihil hoc monili preciosius,nihil hac gemmarũ ua *rietate distinctius.* Ex omni parte decoraris,cingeris,atque pro *tegeris,& ornamento tibi sunt & tutamini, gẽmæ uertuntur in scuta.* Caue quoq; ne aut linguam,aut aures habeas pruriẽ *tes,id est,ne aut ipsi alijs detrahas,aut alios audias detrahẽtes. Sedens,inquit,aduersus fratrem tuum loquebaris,& aduersus filium matris tuæ ponebas scandalũ,hæc fecisti & tacui. Existi masti inique,quod ero tui similis,arguã te & statuã contra fa ciẽ tuã.* Parce à detractione linguæ, *custodi sermones tuos,& scito quia per cũcta,quæ de alijs loqueris,tua cõscientia iudica ris,& in his ipse deprehẽderis,quæ in alijs arguebas.* Neq; ue *ro illa iusta est excusatio,referentibus alijs iniuriã facere non possum.* Nemo inuito auditori libẽter refert. *Sagita in lapidẽ nunquã figitur,interdũ resiliens percutit dirigentẽ.* Discat de- *tractor,dũ te uidet nõ libenter audire,nõ facile detrahere.* Cũ *detractoribus,ait* Salomõ, *ne miscearis: quoniã repente ueniet perditio eorũ,& ruinã utriusq; quis nouit? tam uidelicet eius qui detrahit,q̃ illius qui aurẽ accõmodat detrahẽti.* Officij tui *est uisitare languentes: nosse domos matronarũ,ac liberos ea- rũ,& nobiliũ uirorũ custodire secreta.* Officij tui est,non solũ *oculos castos seruare,sed et linguã.* Nunquam de formis malie *rũ disputes,nec quid agatur in alia,domus alia per te nouerit.* Hippocrates adiurat discipulos suos antequã doceat,& in uer *ba sua iurare cõpellit,extorquet sacramento silentiũ,sermo- nẽ,incessũ,habitũ,moresq; præscribit.* Quanto magis nos,qui

bus animarum cura commissa est, omnium christianorum domos debemus amare, quasi proprias. Consolatores potius nos in mœroribus suis, quàm conuiuas in prosperis nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpe uocatus ad prandium, ire nõ recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare q̃ accipere. Nescio quo enim modo etiam ipse qui deprecatur ut tribuat: cum acceperis, uiliorem te iudicat: & mirum in modum si eum rogantem cõtempseris, plus te posterius ueneratur. Prædicator continentiæ, nuptias ne conciliet. Qui apostolum legit, superest, ut qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant: cur uirginem cogit ut nubat? Qui de monogamia sacerdos est, quare uiduam hortatur ut digama sit? Procuratores & dispensatores domorum alienarum atq; uillarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quippiam rapere, furtum est. Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, uel cautum esse uelle, uel timidum: aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor, & tu iudicas quantum uentri meo satis sit? Aut diuide statim quod acceperis, aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius, mea seruare potest. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reseruat. Coegisti me Nepotiane charissime, lapidato iam uirginitatis libello, quem sanctæ Eustochio Romæ scripseram: post annos decem rursus Bethleem ora reserare, & confodiendum me linguis omnium prodere. Aut enim nihil scribendum fuit, ne hominum iudicium subiremus, quod tu facere prohibuisti: aut scribentes nosse, cunctorum aduersum nos maledicorum tela torquenda. Quos obsecro ut quiescant & desinant maledicere. Non enim ut aduersarijs, sed ut amicis scripsimus. Nec inuecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent monuimus.

Neq; in illos tantum, sed & in nosipsos seueri iudices fuimus. Volentesq; festucam de oculo alterius tollere, nostram primũ trabem eiecimus. Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est. Neminem specialiter meus sermo pulsauit. Generalis de uitijs disputatio est. Qui mihi irasci uoluerit, ipse de se quod talis sit, confitebitur.

FINIS.

EXCVDEBAT BVRGIS PHILIPPVS
Iunta typographus, prope fontem diuæ Mariæ.
Anno a virgineo partu quinquagesi
mo tertio & sexagesimo su-
pra millesimum.

CATALOGVS AC INDEX SANCTO-rum: *quorum uitas libellus hic complectitur.*

FINIS.

INDEX EORVM QVAE SVNT præcipua in ſcholijs.

A

B

C

D

E

Face-

F

G

H

I

L

M

N

O

P

FINIS.